



795307



V. B. g.

536

F. 400, 112 - 112 - 112
II 02 0/6

2 works in 1 vol


- 1) de Soto "Institutiones Christianae" 1548
- 2) Anon. De Corruptis Moribus non

de Soto, 1495-1563

Very good example of contemporary blind-stamped binding

The second work appears to be by Sylwester Czechanowski, and the only edition which I can locate was printed in Cracow in 1560. The typography of this copy looks Polish, but perhaps a little earlier than 1560.

[Sylwestro Czechanowio]



Jo. Waiccardy comes ab Hunsperg
Ex Libris Christophori Sulhammer

INSTITVTIONIS
CHRISTIANÆ LIBRI TRES PRIO,
RES: IVSSV REVERENDISSIMI DOMI-
ni, D. Othonis Cardinalis & Episcopi Augu-
stani a doctis Theologis lecti & pro-
bati, ac illius autoritate
editi.

AVTHORE R. P. D. PETRO DE SO-
to, dominicano, Theologo, & confessore
Cæsareæ Magestatis.

Cat. Infer.

Anno 1655



AVGVSTÆ VINDELICORVM
imprimebat Valentinus Othmar,

Anno, M, D, XLVIII.

735307

LIBRARY OF THE
BIBLIOTHEQUE
MUSEUM
OF THE
CITY OF
LONDON

ATTHOR, K. S. D. PETRO DE SO
C. S. D. PETRO DE SO
C. S. D. PETRO DE SO

AVGVSTV VINDICORVAZ



10212202

MAXIMILIANO, ET FERDINANDO, FERDINANDI

Romanorum Regis filiis, frater Petrus de Soto
dominici instituti in utroque homi-
ne adolescere.



Offero uobis, clarissimi Principes, Chri-
stianæ fidei religionisq; compendium, ac
introductoriam ad Christianismum in-
stitutionem. Nam & uobis nihil aut uti-
lius, aut dignius offerri posse credo: &
professioni uotoq; meo nihil decentius existimo, quam
ut possim magnis paruisq; ad eam, quæ est in Christo, in-
stituendam uitam, aliquid conferre. Offerunt alii regis
adolescentibus dona regia, aurum, gemmas, & precio-
sissima quæq; monilia: alii arma, equos, & horum mira
arte elaborata ornamenta: quibus aut eorum sibi gratiã
conciliare, aut suam potius mentem, qua illis uel affecti,
uel deuincti sunt, testari conantur. Ego uero uos, o no-
bilissimi Principes, totus amo, totus uobis conspectis
exulto: cum, quoniam clara uestra indoles, sinceritatis &
hilaritatis decorata splendore, magnam de uobis polli-
cetur spem: tum etiam, quoniam auita illa maiorum ue-
strorũ strenuitas & gloria, fide & religione clarissima, in

uobis se se proferre incipiens, consolatur iam senescentes:
deficientesq; pios & Catholicos omnes in misere uexa-
ta & iam pene collapsa Germania. Quid enim in ea iam
superest? Aut quos Catholicos principes spes est edu-
candos in hac miserrima fidei, & morum pestilentissima
corruptione? Certe nisi dominus reliquisset ei hoc semē
fideliter educatū, quasi Sodoma reputari posset. Hunc
ergo meum in uos animū, & hoc desiderium ut uobis de-
clararem: hoc munusculum parauī, profuturum ad eā,
quam maxime in uobis amant boni omnes, fidei sincer-
ritatem, & religionem conseruandam augendamq;. Vos
suscipite æquo animo, grato uultu euoluite, ac mente re-
condite. Neq; enim meum aliquid & proprium est; sed
spiritus sancti, orthodoxorumq; patrū sententias, do-
ctrinamq; huic uestræ ætati & ingenio congruentē, qua
potui breuitate elucidatā succinctamq; collegi; nil aliud
exigens recompensationis, quam ut his aut melioribus
admoniti, sicut corpore, ita & mente annitami profice-
cere, uobisq; ipsis quotidie effici meliores. Hoc nanq;
Christianos & regios adolentes maxime decet. To-
tius autem huius institutionis summa hæc est. Post non
longam præfationem, ex hortantem oēs ad hanc doctri-
nam fidei suscipiendam, in primo libro quatuor subiunxi-
mus capita: In quorū primo quilibet docetur se ipsum co-
gnoscere, declarante quid sit homo, & quid Christianus:
quæ duo potissima sunt; immo sola, de quibus gloriari

merito possumus. Tribus uero reliquis de fide, spe, & charitate sic agitur: ut in eis quid Christiano credendum, sperandum, agendum, fugiendum ue sit, ostendatur. In his ergo quatuor capitibus prima & clarissima fidei rudimenta breuissime collegimus: ut neque ea onerent lectorem, neque difficile sit ea mente memoriaque tenere. Addidimus uero dehinceps singulis capitibus latiore expositionem eorum, quae breuius fuerant dicta: conantes pro captu nostro, panem Christianae doctrinae paruulis diuidere: in qua expositione solidiora iam, & succulentiora traduntur cogitanda. Poterunt autem prius breuiusculae illae quatuor instructiones legi. Cum uero eas placuerit mente recondi, atque alte iam ea haeserint animo: tum paulatim licebit alia degustare: quae si pius fidelisque spiritus sancti discipulus uiderit se intelligere, & eis intellectis proficere: gratias agat ei soli, qui docet hominem scientiam: sin minus: oret, ut intelligat, priora interim retinens & credens. Quamdiu enim hic uiuitur: in schola sumus spiritus sancti, & in eius doctrina conandum nobis est semper proficere. Haec addidi, clarissimi principes: ne uos ab his legendis aliquando longior scriptura deterreat. Valete foelices: & paratos uos discipulos Christo domino semper exhibete.

AD PIVM LECTOREM.

CUm ante aliquot annos, delectatus indole atq; ingenii candore Maximiliani & Ferdinandi, filiorum regis Romanorum, qui tunc apud Casarem nutriebantur, hos duos priores libros conscripisssem illis ad pietatem instituendis, eisq; ipse tunc prælegisssem, ac postea tertium iam inceptum absoluissem: tres hos libros aliquandiu penes me retinui: tum, quod non possem reliqua in principio promissa complere, uariis profectio nibus impeditus: tum etiam, quod non tanti mea faciam, ut facile ausurus essem ea in publicum proferre. Verum illucescente iam spe restaurandæ religionis, uisum fuit amicis aliquot, qui ea legerant, posse illa huic tam necessariæ ac optatæ restaurationi fidei utilia esse: præsertim cum innumeri sint Catechismi conscripti, non satis cum doctrina Catholica conuenientes: raro uero in germania inueniatur aliquis: quo tuto adolescentibus & populus fidelis institui possint. Eorum igitur amicorum hortatu, atq; desiderio conferendi aliquid ad sanandum horum temporum nouitates, humiliandumq; ingeniorum insolentiam, ex qua omnia hæc mala (quod maxime est dolendum) profluxere: hos tres libros obtuli Reuerendissimo Cardinali & præfuli Augustano, tanquam hic ordinario legitimoq; discernendæ

doctrinę iudici: cuius zelus in reparando catholicam religionem, omnibus iam certe, sed mihi maxime a longo tempore est perspectus. De his ergo edendis uel suppressendis apud eum esto iudicium: ut non iam temeritati meę, sed illius authoritati imputes: si quid in hac editione peccatum fuerit. Posslet autem primus liber & adolescentibus & populo rudi legendus ac perdiscendus tradi. Duo uero reliqui utiliores erunt parochis & iis, qui illam ipsam prioris libri doctrinam explicare populo debent. Vale.

ERRATA ANTE LIBRI LECTIO-
nem corrigenda.

IN principio primarum paginarum scribe præfatio. Fol. 1. 2. in margine de-
le, Eccle. & scribe, Esai. fol. 2. 1. li. 30. post adhortationibus, pone punctum.
Fol. 7. 2. li. 31. post etiam adde quod. fol. 10. 2. in fine li. 12. dele con. fol. 11. 2.
2. li. 24. scribe accepta. fol. 13. 1. li. 5. scribe orthodoxorum. Item fol. 13. 2.
li. 25. post cor, appone punctum. fol. 18. 1. li. 2. scribe plura. fol. 18. 2. li. 12.
scribe, de primo præcepto. fol. 20. 2. in margine li. 11. scribe Psal. 61. fol. 24.
1. li. 12. scribe scriptum. Item ultima linca dele in, Fol. 25. 2. li. 17. scribe, &
maxime. fol. 26. 1. li. 4. dele prius post. fol. 28. 2. li. 7. post iniustā, dele uirgula-
lam. fol. 29. 2. li. 28. scribe uilipendendi. fol. 31. 1. li. 30. scribe possint. fol.
32. 2. li. 11. post pietas deleto puncto pone uirgulam. fol. 38. 2. li. 10. post de-
bemus pone notam interrogationis. fol. 42. 1. li. 29. post est, pone etiam notam
interrogationis. fol. 44. 1. li. 14. scribe hominis. fol. 46. 2. lin. ulti. scribe ac-
cendant. fol. 48. 1. li. 19. scribe Ciliciam. fol. 52. 2. 29. scribe colantur. fol.
68. 1. li. 2. scribe hic. fol. 75. 2. li. 19. ante uia enim, pone punctum. fol. 90.
1. li. 32. scribe uocationis. fol. 93. 2. li. 28. scribe martyr. fol. 97. 2. li. 21.
scribe imputauit. fol. 102. 1. li. 28. scribe esse. fol. 103. 2. li. 8. scribe amor-
tuis. fol. 106. 2. li. 17. scribe reddebat. fol. 107. 2. li. 23. scribe uolatilibus.
fol. 108. 2. li. 9. scribe animam. fol. 110. 1. li. 28. scribe præcipitabit. fol.
111. 2. li. 23. deletis redundantibus literis scribe sempiternam.

IN CHRISTIA-

NAM INSTITVTIONEM PRÆFATIO, AD

DEI COGNITIONEM INVITANS OMNES, MAXIME

adolescentes: & quæ sit uera Dei co-

gnitio ostendens,



Nihil tantopere fugiendū hominibus, nihilq̃ esse perniciosius, quam sit dei ignorantia, passim scriptura sacra proclamat. Si quis ignorat (inquit Paulus) ignorabitur. Quid autem homini durius, quam a Deo ignorari, & audire uocem illam: Nescio uos? discedite a me. Vnde & grauitè admonet alibi: Euigilate

1. Co. 14.

iusti, & nolite peccare: ad reuerentiam uobis dico. ignorantiam enim dei quidam habent. Vnde Esaias per os dei loquens: Propterea (inquit) captius ductus est populus meus, quia non habuit scientiam: & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit: Propterea dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum, absq̃ ullo termino: & descendunt fortes eius, & populus eius, & sublimes gloriosiq̃ eius ad eū. Moyses etiam nihil magis exprobrat populo, quam insipientiam: neq̃ illi amplius desiderat, quam ueram cognitionem, nec de re aliqua serius admonet: Hęcine (inquiens) reddis domino popule stulte & insipiens? Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, fecit, & creauit te? Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi maiores tuos, & dicent tibi: ac tandem iam quasi fessus eorum duricia: Gens (inquit) sine consilio est, & absq̃ prudentia: utinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Et Baruch quoq̃ Israeliticæ gentis extremas calamitates cum corporeas, tum etiã spirituales deplorans, earum omniũ ignorantia causam esse queritur: Quid est (dicens) Israel, quod in terra

Math. 7

1. Co. 13

Esai. 5.

Deu. 32.

Baruch, 3

A inimicorum

PREFACIO.

inimicorū es: inueterasti in terra aliena: coinquinatus es cū mortuis: deputatus es cū iis, qui ad inferna descendunt: dereliquisti fontē sapientiæ. Quibus uerbis aperte ostendit, omnē Israelis captiuitatem, omnem fidelis populi deiectionem, & peccati seruitutem (quæ consuetudine, & impenitentia contrahitur) adei ignorantia proficisci. Quare mox malorum illorum omnium unicum antidotū & leuamē, dei cognitionem ostendens esse, subdit: Disce, ubi sit prudentia, ubi sit uirtus, ubi sit intellectus: ut scias simul, ubi sit longiturnitas uitæ & uictus, ubi sit lumen oculorum, & pax. Nec his contentus propheta, omnium nationum & populorū reges, omniumq; sæculorū fortes, potentēsq; & sapientes huius sæculi, ueræ sapientiæ diuinęq; cognitionis penuria periisse, testatur: Vbi (inquiens) sunt principes gentiū etc. quo loco Gigantes, exquisitores prudentiæ, quæ de terra est, negociatores, & cæteros, quos habuit mundus in precio, nominans, addit: nō hos elegit dominus: nec uia disciplinæ in uenerunt: propterea perierunt. Et quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam stulticiam.

Eccle. 12

Ioan. 15

Ioan. 3

¶ Semper quidē dei ignorantia ualde reprehēnsibilis, & noxia fuit homini. Verū iam coruscante Euāgelio, & unigenito ipso, qui erat in sinu patris, cognito, quando plena est terra scientia dñi, & cū ipse quā uerissime testatur, omnia quæcunq; audiui a patre meo, nota feci uobis: quod putamus imminere iudicium iis, qui in apertissima hac luce cæcutierint! Itaq; hoc est (ait dominus in Euangelio) iudicium: quia lux uenit in mundū: & dilexerunt homines magis tenebras, quā lucē. Si ergo tantopere laborant homines, ut in iudiciis humanis euadant liberi, ut nihil eis minuatur census: si tam solerti cura consuluntur doctores, & iurisperiti pro euincenda causa, in qua de re minima quādoq; disceptat: qua (rogo) uigilantia, qua industria laborādū pro æternę hereditatis, coelestisq; regni adeptione: quā indefesso labore quærendi periti doctores, qui, quæ ad salutem animæ pertinent, nos doceant!

¶ Et:

Et quidem cum nunquam non sit hæc salutaris scientia
 quærenda: maxime tamen in adolescentia, & ætate tenera dis-
 cendam esse, docet scriptura: quod tunc facilius ad uirtutem
 allici, & formari possit anima adhuc uacua, & uti tabula mun-
 da, nullis deformata adulterinis fucis. Vnde Hieremias, bo- *Thre. 3 :*
 num est, ait, uiro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua. *Eccle. 6.*
 Et sapiens ita monet: fili a iuuentute excipe doctrinam, & usq;
 ad canos inuenies sapientiam: quasi is, qui arat, & qui seminat,
 accede ad illam, & suscipe bonos fructus eius. In opere enim
 ipsius exiguum laborabis, & cito edes de generationibus illius.
 In hac certe ætate discunt omnes, quod sibi utilius ad reliquam
 uitam peragendam putant: in ea militaturi armorum medi-
 tationibus exercentur: Agricolaæ assuescunt improbis labori-
 bus: denique omnes, qui ex scientia aliqua, arte ue sibi uiuen-
 dum decernunt, eam totis uiribus & studio magno in adoles-
 centia discunt. Nobis uero omnibus ex hac Christiana scientia
 non in hoc sæculo modo, sed in æternum uiuendum est, & sine
 ea moriendum in æternum.

Nec uero potest adolescentis animus non imbui, aut non se
 dedere diuinis uel humanis: immo nõ nisi ualenti studio retrahi
 potest, quin impetu ipso appetit, in præceps feratur, lenociniis
 sæculi seductus. Sensus enim, & cogitatio humã cordis (ut scri-
 bitur in Genesi) prona sunt ad malũ ab adolescẽtia sua. Nã arri- *Gene. 8.*
 dent omnia adolescenti: mūdus, libertas, luxus, sodaliũ grata læ-
 taque manus: deceptura proculdubio inexpertũ iuuenẽ, nisi do-
 ctrinæ sanę ei subueniatur cõsiliis. Quare Salomon ueluti ado- *Pro. 7.*
 lescentium misertus, clamat ad eos: fili mi custodi sermones
 meos, & præcepta reconde tibi: & iterum: Serua mandata mea,
 & uiues: et legem meam, quasi pupillam oculi tui: liga eam in
 digitis tuis, & scribe eam in tabulis cordis tui: Dic sapientię so-
 ror mea es: & prudentiam uoca amicam tuam, ut custodiat te
 a muliere extranea, & ab aliena, quæ uerba sua dulcia facit.

PREFACIO.

ubi attentius considerandum, quam apto tropo, & conuenienti analogia constituit iuuenem inter ueram rerum cognitionem, quam sapientiam nominat, & uanitatem fallaciamq; sæculi, quam extraneam mulierem uocat. Illam amicam ueram, & sororem dicit, quoniam a Deo est, a quo nos sumus: hanc uero extraneam, quoniam non est a Deo, sed ab illo, qui mendax est. Hæc dulcioribus uerbis conatur decipere, nunc eloquentiæ splendore, nunc gloria famaq; nunc etiã deliciis inuitans ad se iuuenes, quos sapientiæ solius auxilio ab iis fraudibus erui posse, docet statim Salomon: Ut eruaris (inquiens) a muliere extranea. Quod mox apertius, latiusq; profequitur, Cuius uerbis libet parũ immorari, & cum rege sapientissimo retinere iuuenes, a fallaciisq; sæculi eos retrahere. Sic ergo Salomon extraneam illam mulierem, & iuuenem inscitiam, inconsiderationemq; depinxit. De fenestra domus meæ per cancellos prospexi iuuenem, & uideo paruulos: considero uerẽcordem iuuenẽ, qui transit per plateas iuxta angulum, & prope uiam domus eius graditur in obscuro, ad uesperascente die, in noctis tenebris, & caligine: & ecce occurrit illi mulier ornata meretricio præparata ad decipiendas animas, garrula, uaga, quietis impatiens, nec ualens in domo consistere, pedibus suis nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians: appræhensumq; osculatur iuuenem, & procaci uultu blanditur, dicens: Victimam pro salute deuoui, hodie reddidi uota mea: idcirco egressa sum in occursum tui, desiderans te uidere: & repperi: ueni, inebriemur uberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies. Irretiuit eum multis sermonibus, & blanditiis labiorũ protraxit illum. Statim eam sequitur, quasi bos ductus ad uictimam, & quasi agnus lasciuens, & ignorans: & nescit quod ad uincula trahatur stultus, donec transfigat sagitta iecur eius, ueluti si auis festinet ad laqueum: & nescit quod de periculo animæ eius agitur. Vide quam propriis coloribus & linea-

mentis

mentis quasi penicillo describat mundanæ uanitatæ formã, primamq; illam fallentis peccati speciem, boni pulchriq; cooperatã uelo. Mulier enim garrula, uaga, quietis impatiens, uanitas & petulantia est: quoniam quos possederit, garrulos, loquaces, inquietosq; efficit. Hæc ipsa, quos aliquantũ dei oblitos, suiq; uiderit, mox blandiciis deosculans, ad peccatum trahit: cuius sicut initium, priorq; uultus dulcia sunt: sic finis totus tristis, totus miser est, uincula, laquens, periculum, et deniq; animæ mors, quæ omnia ex ignorantia, inconsiderationeq; proficisci, satis ostendit. Vnde tandem iuuenem admonens, adiicit, *Sap. 7.*

Nunc ergo fili, audi me, & attende uerba oris mei. Ne abstrahatur in uis illius mens tua, nec decipiaris semitis eius. Multos enim uulneratos deiecit, & fortissimi quique interfecti sunt ab ea. Vig inferi domus eius, penetrãtes in interiora mortis. Contra uero sapientiam ueramq; Dei cognitionem inducit clamantem: Nunquid non (inquiens) sapientia clamitat, & prudentia dat uocẽ suam? In summis excelsisq; uerticibus supra uiam, in mediis semitis stans iuxta portas ciuitatis, in ipsis foribus loquitur, dicens: O uiri ad uos clamo, & uox mea ad filios hominum. Intelligite paruuli astutiam. Quibus omnibus aperte significat, Dei sapientiam ubiq; adesse homini, semperq; illum ad meliora hortari, idque modo internis uocibus: modo quasi externis ipsis operibus, & exemplis monstrans, ultima mala, atq; discrimina, in quæ deuenerunt fallaciam sequentes: modo etiam ipsius scripturæ sacræ, & utilium aliarum literarum uerbis, itaq; dicit: In plateis, in foribus ciuitatis, in uis & semitis: quoniam multa ubiq; occurrunt ad recta hortantia hominem: nec usquam non interior ipsa animæ nostræ lux nos ducit ad bona, & repugnat malis: quã deus quoq; ipse adiuuat bonis sancti spiritus ad hortationibus, quæ omnia ad sapientiam pertinent.

¶ Hæc autem, de qua agimus, dei cognitio, non curiosa ali-

PREFACIO.

qua cognitio, aut speculatiua tantum est: sed quæ illuminans
 uere hominem, atque deum præsentem ubiq; ostendens, eum
 docet timere, & cauere ab omni peccato. Sicuti enim fallacia
 sæculi ad omnia uicia hominem ducit, nec sinit illum diuinis le-
 gibus contineri: sed propriam sententiam sequi, & libertati car-
 nis sensuumq; petulantia totum se dedere facit: sic contra hæc
 dei sapientia omnia iugo disciplina subiicit, & licentiosa sæcu-
 lariaq; desideria, consideratione mortis iudiciiq; diuini reprimi-
 mit: docens scilicet nos met ipsos, cunctaq; membra, & sensus ra-
 tionis, atq; legis dei, domare disciplina: quam uiuidis coloribus
 exprimit nobis Iacobus Apostolus, ut matronã dignissimam,
 procaci illi meretrici a Salomone descripte per omnia aduer-
 sam. Itaq; inquit: quæ de sursum est sapientia, primum quidem
 pudica est: deinde pacifica, modesta, suassibilis, bonis consenti-
 ens, plena misericordia & fructibus bonis. Illa ergo altera de-
 scripta est procaci uultu, hæc pudica, pudicitiam, sanctamq; ho-
 nestatem docens omnes: illa uaga, quietis impatiens: hæc paci-
 fica in quiete conscientia, paceque cum deo habitare instruens:
 cuius, iuxta Dauidem, in pace factus est locus: illa garrula: hæc
 modesta non uerbis solum, sed omnibus actibus modum sta-
 tuens, mensuramq; præfigens: illa dulcibus sermõibus decipit:
 hæc suadet ad bona, atq; suassibiles & dociles reddit: illa crude-
 lis in animas hominum sequit, quos deceperit, perpetuæ morti
 tradens & inferno: hæc misericordia plena docet homines, in
 seipos animasq; proprias non esse crudeles: ac deniq; fructibus
 bonis refferta nequaquam sterilis, aut deliciosa, sed tota sæcun-
 da coniunctum sibi animum prole uirtutum replet. Ergo ait ip-
 sa: ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, &
 sanctæ spei. Generat namq; in animo charitatem dei, timorem,
 spem, omnium rerum ueram cognitionem, rectumq; iudiciũ.
 ¶ Expendat iam Christianus adolescens, utram sequatur: uanitatẽ,
 an ueritatem: stultitiã, an sapientiã; Christum, an diabo-
lum

Idem, 3.

Eccle, 24

Itē: immo uideat potius, quantū sint hæc mala fugienda: & intel-
 ligat quam necessario ad hanc ueram Christianæ sapientiæ, &
 solam uirtutis scholam, simus omnes adolescentes hortati: quo-
 rū utilitati hac nostra institutiōe consulimus. Dirigat Christus
 ipse uera sapientia calamū nostrū, Christianamq; adolescentiā,
 pulcherrimā ecclesiæ suæ portionē doceat, quæ uera, & quæ uti-
 lia sunt. Sic enim ipse per Esaiam promittit: Ego dominus do- *Esai. 48.*
 cens te utilia, gubernans te in uia, qua ambulas: & iterum dicit *Esai. 54.*
 Ecclesiæ: ponā uniuersos filios tuos doctos a domino.

CAPVT PRIMVM, DOCENS CHRIS-
 tianū naturam, & religionem suā cognoscere.

Quoniam fides, Christianaq; religio ita captiuare intel-
 lectū docet in iis, quæ a deo sunt reuelata, ut tamen nō
 extinguat rationem, nobilissimā hominis portionē, & qua cate-
 ris animalibus præeminet: debent illius discipuli omnia ratione
 facere, & parati esse, ut apostolus Petrus docet, ad satisfactionē *1. Pet. 3.*
 omni poscenti rationem de ea, quæ in nobis est, fide & spe, atq;
 ea scire, quæ iuste ab eis exigī possunt: non quidē reconditiora
 mysteria, perplexasq; quæstiones: sed quæ certa, & palam posita
 ad uitam recte gubernandam sunt necessaria: quæ Christus do-
 minus pauca esse uoluit, & perspicua, ex multis, quæ in scriptu-
 ra latius continentur. Verbum enim breuiatum (ut Paulus in *Paul. ad*
 quit) fecit dominus super terrā. Ea igitur in huius nostræ insti- *Rom. 9.*
 tutionis primo libro trademus, proponentes circa singula ra- *Esai. 10.*
 tionales interrogationes, ordine & consequenti ratione. Nec
 enim parum adiuuat discendem ordinata propositio. Subiun-
 gemus autē dignas, Catholicasq; responsiones: quas intelligi
 & teneri memoria ab omnibus cuperemus.

Prima interrogatio.

Quoniam

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

Quoniam quisque certo scit, & affirmat se hominem esse: Primum a quolibet interrogari potest, quid sit homo? & est primum, quod a nobis Deus interrogat, ut cognoscamus nos ipsos. Huic ergo quaestioni sic respondebit iuxta fidem, se ipsum cognoscens.

Responsio,

Homo est Dei creatura mire ab eo ex corpore & anima fabricata: iuxta corpus bestiis similis, & corruptibilis: secundum animam immortalis, angelis similis, ad imaginem creatoris sui, uirtute uidelicet cognoscendi, & amandi ornatus, felicitatis & ueræ beatitudinis (quæ in clara Dei cognitione & fruitione sita est) capax.

Secunda interrogatio.

Iam uero, quoniam inter homines diuersæ sunt sectæ, legesq; nos uero confitemur nos Christianos esse: digne quaeri potest, quid sit Christianus?

Responsio :

Est ergo hæc Christiani definitio: Christianus est Christi discipulus in his præcipue, quæ religionis cultusq; ueri Dei doctrinam concernunt: ea, quæ ipse per se primum, deinde per discipulos suos successoresq; eorum docuit, docet, docturusq; est ad finem usq; sæculi, credens.

Tertia interrogatio.

Rursum, quoniam sumus Christiani uoluntate, & electione nostra: non uane, nec sine causa, aut ratione, tertio loco quaeritur: Quare sis Christianus? & unde hoc habeas? Cui quaestioni respondebitur gratissime, & deuote,

Responsio,

Sum

SVm Christianus primum summa in me gratia dei, & misericordia: qua, cum diaboli seruus essem & iræ, per Baptismum in filium me recepit: cum id nec mereri, nec discernere per ætatem possem. Atq; nunc etiã speciali sua inspiratione & gratia (ut firmissime credo) hoc animo persuasit meo, & certũ me fecit, hanc, quam teneo fidem, ab ipso reuelatam in Ecclesia Catholica, quæ Apostolorum est discipula, solum in ea Ecclesia manere: eamquæ doctrinam solam ueram, ac salutarem hominibus: cæteras uero omnes sectas, religiones, hæresesue falsas, hominibusq; perniciosas esse.

Quarta interrogatio.

Qui gloriatur, gaudetq; se discipulum esse alicuius, æquũ est, ut doctrinæ illius non omnino ignarus sit, aut artis licet, quandiu discipulum se profitetur, possit multa nondũ attingisse. Quaritur itaque digne ab eo, qui se Christi discipulum fatetur, quæ sint illa, quæ Christi doctrina continentur, cui etiam quæstioni soluendæ paratum se exhibebit, omnis fidelis, hæc sequentia intelligens.

Responsio.

ET si doctrina Christi latissima est, & totam scripturam facram continet: tria sunt tamen præcipua, quæ in ea docentur, & ad quæ omnia alia ordinantur. Primum, quæ ad fidem pertinent: nempe quæ credenda sint; et quæ contra non credenda: atq; hæc Symbolo Apostolorum concluduntur. Post sequuntur, quæ ad spẽ pertinent: uidelicet quæ desideranda, sperandaue sint: & quæ iis aduersa, atque fugienda. Hæc autem oratione dominica complexus est Dominus. Tertio loco ponuntur, quæ attinent ad charitatem & mandata (de quibus Paulus ait: Qui diligit proximum, legem impleuit) scilicet quæ sint a nobis operanda, & propter quem finem: & quæ rursum

B uitanda,

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

uitanda, & a quibus cauendum sit nobis. Hæc autem continentur decalogi præceptis: de quibus Christus dominus adolescenti quærenti: Quid boni faciam, ut consequar uitam æternam? respondit: si uis ad uitam ingredi, serua mandata. Hæc itaque habeat Catholicæ doctrinæ adolescens cupidus, ut introductionem ad sequentem doctrinam, & mente retineat: ex quibus nunc nonnullam sui, religionisq; Christianæ prægustationem capiat. Iam uero necesse est de fide iuxta proposita tradere communem, cunctisq; necessariam doctrinam,

CAPVT SECVNDVM DE FIDE.

PRI MV M quod doctrina Euangelica, atq; diuina continet (ut diximus) sunt quæ ad fidem pertinent. Est enim fides principium totius religionis & uirtutis. Quæ ergo credenda sint, & quo ordine, explicandum nunc est conuenientibus interrogationibus.

Prima interrogatio.

PRI MV M igitur a quocunq; fideli quærimus, quæ sint credenda: cui inquisitioni sic respondebit.

Responsio.

CRedenda sunt omnia, quæ in scriptura sacra sunt tradita: & quæ ex illis aperte sequuntur: item omnia, quæ ecclesia ab apostolis credenda accepit, & continua successione ad nos usque transmisit: & deniq; ea omnia, quæ ecclesia credenda esse ex scriptura & traditionibus patrum intulit, ac declarauit.

Secunda interrogatio.

SEd ne alicui fiat nimis difficile, immo impossibile tanta, Stamque diffusa posse, maxime a simplicibus credi; ad tollendum

LIBER PRIMVS.

dum hunc scrupulum iam inquirimus quomodo possint tot, quæ in scriptura & doctrina ecclesiæ sunt, ab omnibus credi. Cui inquisitioni sic respondebit, qui bene fuerit in iis, quæ ad salutem pertinent, instructus.

Responsio.

IN uniuersali quidem & confuse possunt omnes, & tenentur supra dicta omnia credere. Hoc autem fit, cum quis uere dicit: Credo omnia, quæ in scriptura, & doctrina ecclesiæ proposita sunt credenda: atque etiam si illa non sciam, neque intelligam: omnia tamen uera, omnia certa, & diuina credo. Hanc uocant doctores fidem implicitam, hoc est, non apertam, sed clausam quodammodo: quoniã omnia credenda in ea clauduntur, cooperta tamen, & abscondita etiam habenti illam fidẽ. Est tamen ea fides non solũ sufficiens iis, qui maiora non capiunt: sed & salutaris: dum sic maiorũ fidei copulantur minores. Verum in speciali, & aperte omnia, quæ sunt in scriptura sacra & doctrina ecclesiæ, tenentur episcopi & doctores, quatenus ad docenda uera, & populũ auertendum a falsis, necessaria sunt, cognoscere; & hæc est fides explicita, aperta iã, & cognoscens quæ credit.

Tertia interrogatio.

NE uero hæc tam facilis & aperta uia ad credendum omnia, negligentes reddat ad salutaria cognoscenda, sicque maius periculum incurratur: merito quærimus: sufficiat ne hæc implicita fides minoribus, & simplicibus Christianis ita, ut nihil explicite, & aperte teneantur cognoscere: cui questio ni sic respondendum.

Responsio.

Multa sunt, quæ tenentur omnes, etiam minores & simplices explicite credere: omnia scilicet, quæ ecclesia publice credenda proponit, siue festa de eis instituens, siue ali-

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

Pro. 1.

ter ea filiis suis prædicans. Qui enim hæc, quæ Ecclesia omnes docet, discere negligit, aperte se extra magisterium spiritus sancti constituit, ecclesiam deserens, contra illud salutare sapientis consilium: Audi, fili mi, disciplinam patris tui, & ne de relinquo legem matris tuæ: ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo,

Quarta interrogatio.

Iã superest, ut inquiramus ab eo, qui ita de his est instructus quæ nam sint illa, quæ ecclesia omnibus publice proponit credenda: cui etiam disquisitioni, doctrinæ ecclesiasticæ studio sus respondebit in hunc modum.

Responsio.

Credenda sunt explicite ab omnibus: Primum quidem, quæ in Symbolo fidei ecclesia in laudem dei, & populi instructionem decantat: quæ etiam pii & Catholici doctores ad duodecim articulos fidei, siue quatuordecim reduxerunt, ita scilicet diuidetes illa, atque ordinantes, & de articulantibus propter ædificationem ac utilitatem populi fidelis. Tum sunt etiam credenda explicite, quæ ad mores instituendos, gubernandosque fideles de septem Sacramentis, de iustitia humana, de bonis operibus, & de uirtutibus, peccatisque ecclesia docet populos: atque simul etiam ea, quæ in cultu dei & sacramentorum ministerio, semper aperte tenuit & tenet ecclesia. Ac denique explicite credenda sunt, quæ ecclesia propter diuersas hæreses uitandas, & fideles instruendos, diuersis temporibus declarauit ac docuit. Atque hæc quidem credenda sunt, cum ecclesiæ declaratio legitime per proprios pastores denunciatur. Sic igitur patet fidem in substantia quidem, nec mutatam, nec auctam, aut diminutam: sed secundum explicationem & prædicationem pro temporum uarietate esse modo hæc, modo illa explicata.

Quinta

LIBER PRIMVS.

Quinta interrogatio.

CAeterū de singulis horū necesse est pro captu piorū age
re. Quare de primo statim inquirimus, qui sint hi duo
decim articuli fidei: & quomodo in Symbolo positi. Cui inqui
sitioni danda est talis responsio.

Responsio de arti. Fidei.

Dodecim articuli fidei distincti, & enumerati sunt a pa
tribus singulari ratione, ac ordine. Quoniam enim tota
fidei nostræ substantia est circa diuinitatem & humanitatem
Christi, sicut ipse ait: Hæc est uita æterna, ut cognoscāt te solū, *IOAN. 17.*
uerum deum, & quem misisti, Iesum Christum: circa utrunq;
horum sex articulos destinuerunt: ac duobus quidem articulis,
quæ ad ipsam dei naturam pertinent: reliquis uero quatuor,
quæ ad eius operationes attinent concluderunt.

Primus hic articulus, Credo in unum deum, est de diuinæ
naturæ unitate: quo confitemur deum sic unum, ut nullo mo
do deorum pluralitas sit admittenda.

Secundus de Trinitate personarū est: quod uidelicet in hac
unitate naturæ tres personæ sunt, uere, & realiter distinctæ: Pa
ter, filius, & spiritus sanctus: quæ in Symbolo continentur his
uerbis: Patrem omnipotentem, in Iesum Christum filium eius,
& in spiritum sanctum.

Tertius est: quo primam dei operationem confitemur: quod
scilicet sit Creator, factorque rerum omnium prorsus de nihilo.
dicimus enim in symbolo: factorem Cœli & terræ.

Quartus: quo operationes gratiæ confitemur: quod uideli
cet deus sit saluator hominum: & quod eos sua benignitate, &
gratia a peccato, & æterna morte liberet, iustosq; ac sanctos fa
ciat. Quæ in symbolo cōfitemur his uerbis: Credo sanctā eccle
siam, Catholicam, sanctorum communionem, remissionem

B iii peccatorum.

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

peccatorum. Sunt enim hæc tria gratiæ dei opera : atque illo ipso ordine nobis credenda. Primum namq̃ credendum est, quod sit una omnium nationum & conditionum hominum, omniumq̃ temporum ecclesia : omnium inq̃, qui in uera fide, & cognitione dei, tempori cuiq̃ iuxta dei sapientissimam dispositionem conuenienti, nunc uero post euangelii plenam euulgationem in uera Christi fide, & Patriarcharum, apostolorumq̃ doctrina conueniunt, uniti etiam episcopis, apostolorum successoribus, & uni supremo uicario Christi, successori Petri : cui dominus ad ecclesiæ unionem conseruandam hanc potestate capitis, & ipsi, & successoribus ipsius dedit : qui in Romana ecclesia, sicut & Petrus, sedent : cuius unius ecclesiæ omnes fideles sunt membra. Quod significamus, dicendo : credo ecclesiã catholicam, hoc est, uniuersalem. Tum credendum est, quod in hac ecclesia fuerit semper, futuraq̃ sit Christi gratia, eiusq̃ speciale auxilium. Quo fit, ut quamuis sint in ea mali atque peccatores (est enim hæc ecclesia area, torcular, sagma missa in mare : atq̃ in ea est triticum, palea, & de omni genere piscium) tamen doctrinæ ueritas & uitæ sanctitas, sinceriq̃ fideles, & in charitate perfecti, nunquam in ea deerunt. Christus enim dilexit ecclesiam suam, & tradidit semet ipsum pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in uerbo uitæ, inquit Paulus. Et hoc confitemur dicentes : sanctam ecclesiam, hoc est, tum firmam (est. n. ut ait Paulus, columna, & firmamentum ueritatis) tum mundam, & deo dicatam : nam ea omnia uerbū, sanctam, innuit. Hæc autem uniuersalis, & sancta congregatio, est primum opus gratiæ : quod in symbolo confitemur. Secundum uero communio sanctorum est. Credimus enim, quod in hac ecclesia, tanquam in una uerissima Repub: participes sunt omnes, primum meritorum & satisfactionum Christi, qui illius est caput : deinde etiã & alternis orationibus, ac bonis operibus sibi inuicem multum conferunt. Quemadmodum & Dauid

Mdt. 2 1.

Mdt. 13.

Ephe. 5.

1. Tim. 3

uid

uid dicebat, non parum inde exultans: Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua. Et Paulus sollicitus etiam, ut ecclesiam iuaret: quæ defunt (inquit) passionum Christi, adimpleo in carne mea pro corpore eius: quod est ecclesia. Tertium opus gratiæ est peccatorum remissio. Credimus enim ex hac meritorum Christi communionem, esse in ecclesia peccatorum remissionem, nulliusque peccati ullo tempore, non esse sperandam ueniam manenti in hac ecclesia: extra eam uero nullo modo dari. His tribus operationes gratiæ includuntur. Sunt tamen in his plura alia contenta: quorum multa paulo inferius sunt explicanda.

Psa. 118
Colos. 1.

Quintus articulus ad resurrectionem corporum pertinet. Credimus enim, deum ipsum sua illa uirtute, qua creauit omnia, reparaturum omnium hominum corpora: idque medio etiam humanitatis Christi. Quia iam ipse iuxta corpus immortalis, omnium corpora suscitabit eadem, quæ antea fuerant, suisque animabus (quæ immortales etiam, corporibus pereuntibus permanent) rursus uniet, ut resurgant omnes homines in suis iisdem corporibus, & animabus, in æternum mansuri. Et hoc indicat uerbum, carnis resurrectionem.

Sextus articulus est de ultima dei retributione. Credimus enim deum & bonis, & malis æternam mercedem daturum secundum opera sua: quamuis in symbolo tantum explicauerit ecclesia bonorum premium, dicens: Vitam æternam. Verum ex eo oportet nos malorum damnationem æternam credere. Ibunt enim, iuxta euangelium, hi in supplicium æternum, iusti autem in uitam æternam. Vide igitur quot & quanta his sex articulis contineantur: quæ multis etiam uerbis scriptura nobis tradit de deo.

Mat. 25

Circa humanitatem uero Christi: quæ post diuinitatem, præcipuus est fidei finis, sex etiam articulos distinxerunt nobis doctores. Primo enim conceptionem ipsam, atque natiuitatem, ueritatemque humanæ naturæ in Christo: cæteris uero illius opera explicarunt.

Est

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

Esaï. 76

Est ergo primus articulus, qui conceptus est de spiritu sancto, natus est de Maria uirgine, ex uerbo illo Esaïæ desumptus: Ecce uirgo concipiet, & pariet filium, Vbi in primis confitemur duas integras naturas in uno supposito Christi esse: ut uere credamus eundem ipsum uerum esse deum, & uerū integrumq̃ hominem, constantem anima & corpore, secundum naturam humanam, mortalē, iuxta diuinam uero, immortalē. Est itaq̃ Christus unus omnino in duabꝫ, & ex duabus naturis. Quare omnia, quæ in humana natura, aut egit, aut passus est, deo & filio dei uere conueniunt. Conceptus est igitur, & genitus in matris utero secundum humanam naturam, sicuti alii homines concipiuntur: simulq̃ dū conciperetur, diuinitati unita fuit humana illa natura: ut uere filius dei sit cōceptus. Deinde conceptionem illā nō ex uirili semine, nec ex uoluntate carnis, sed uirtute spiritus sancti perfectam in utero atq̃ ex substantia beatissimæ Mariæ confitemur his uerbis: qui conceptus est de spiritu sancto. Postremo natum etiam ex Maria absq̃ corruptione, & dolore, sicuti absq̃ uoluptate conceptum confitemur: ipsamq̃ perpetuo uirginem: quod profitemur nos credere, dicentes: natum ex Maria uirginē: uirgine, non solum cum conciperet, & cū pareret: sed etiam cum hæc uerba ab Apostolis primū dicta sunt, & perpetuo in ecclesia dicuntur.

Esaï. 53

Secundus articulus est: Passus sub Pontio Pilato, mortuus & sepultus est. In quo ueloci transitu omnia, quæ in uita gessit Christus, præterimus (quæ diuinæ & humanæ naturæ opera, & testimonia sunt) hoc articulo credentes ipsum iuxta naturam humanam passum, seq̃ uoluntarie obtulisse non passioni modo acerbissimæ, uerum etiam morti crucis & sepulturæ: cum tamen nullius horum esset debitor, sed satisfaceret pro debitis nostris.

Tertius articulus est: Descendit ad inferos. Confitemur enim animam Christi, quæ diuinitati unita erat, descendisse ad inferos:

inferos: atque toto tempore, quo corpus etiam diuinitati unitum fuit in sepulchro, mansisse cum patribus, certe inter mortuos liberum. Itaque fuit uere filius dei in sepulchro, & uere descendit ad inferos, sicuti ad illam usque diem omnes iusti fuerunt morientes, potestatem tamen habens uitae & mortis. *Vn- psal. 57.*
de dicitur liber inter mortuos.

Quartus est: & resurrexit tertia die. Quo confitemur Christi dominum uirtute propria resurrexisse immortalem iam, & impassibilem, eductis secum sanctorum animabus.

Quintus est: Ascendit ad caelos. Credimus enim ipsum quae dragelima a resurrectione die corpus illud eleuasse in caelum simul cum anima, atque ad dexteram patris, hoc est, in potioribus bonis, ac in summo loco beatitudinis & gloriae illud collocasse, & nobis etiam parasse locum.

Sextus est: Inde uenturus est iudicare uiuos & mortuos. Quo confitemur iudicariam potestatem datam Christo domino: uenturumque ipsum in forma humana, in maiestate magna, constitutum a deo patre super omnia: omnibusque illi subiectis, ipsum ultimam retributionem singulis daturum.

His duodecim articulis summa fidei nostrae continetur. Finis enim legis (inquit Paulus) Christus est ad iustitiam, omni *Rom. 10.*
credenti. Possunt autem iuxta rationem distinctionis eorum superius assignatam ad duo praecipua & primum credenda reduci. Quorum primum est credere beatitudinem ueramque humanam foelicitatem in sola unius trinitatis Dei creatoris, saluatoris, glorificarorisque omnium uisione clara & fruitione consistere: extra quam nullo modo possumus esse beati. Secundum uero est credere, nulla alia uia ad hanc beatitudinem perueniri posse, quam fide & unione, ueraque imitatione filii dei concepti, natique hominis, & crucifixi. Quod docebat ipse Christus: ego (inquit *Ioan. 14.*
ens) sum uia, ueritas & uita. Quibus tribus uerbis totam fidem complexus est. Nam extra eam ueritatem & uitam beati esse
C non

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

non possumus: per eam autem uiam solam perueniri potest ad beatitudinem.

Sexta interrogatio.

Verum, quia diximus explicite etiam credenda esse, quæ ad Sacramenta ecclesiæ pertinent: iam merito interrogamus Christianum: quæ nam sint, quæ de Sacramentis publice proponit & docet ecclesia, Cui quæstioni sic est a studioso fidei respondendum.

Responsio de VII. Sacramentis.

Docet nos ecclesia septem etiã Sacramenta a Christo domino instituta, ex elementis rebus ue aliis exterioribus, & uerbis composita: quæ sunt signa, & instrumenta, media ue gratiæ: per quæ gratiã, & omnia alia ad uerũ cultũ dei necessaria in ecclesia, salutemq; nostrã nobis confert ipse Christus. Sunt autẽ hæc Baptismus, confirmatio, Eucharistia, Pænitentia, extrema unctio, Ordo, Matrimonium. De singulis uero hoc docet nos ecclesia.

Baptismus est regeneratio, in qua per aquam uerbo dei coniunctam regeneramur in filios dei, & annumeramur in familia Christi inter hæredes gloriæ. Vnde datur in eo gratia, perfecta que omnium peccatorum remissio.

Confirmatio est, in qua per consignationem chrismatis, & uerba dei promouet, confirmatq; Christianus ad hoc, ut paratus sit pro Christo pati. Quare auget in cõfirmatione gratia baptismi: & usque ad perfectum uirum perducitur baptizatus.

Eucharistia est, in qua primum panis & uinum in corpus, & sanguinẽ Christi uere conuertuntur uirtute uerborũ eius, manentibus solis accidentibus præcedentiũ substantiarũ. Deinde offerimus patri, & sumimus in ea uere Christũ in cibum uitæ: qui uitam, quam in Baptismo recepimus, reparat & conseruat: sicut exterior cibus corporis uitam. Vnde datur in Eucharistia, uel augetur gratia.

Pœnia

Pœnitentia est sanandis infirmitatibus & peccatis post baptismum contractis medicina: in qua remissio peccatorum, & gratia confertur. Constat autem tum ex actibus peccatoris, iudicio se sacerdotis subiicientis: dū primū pœnitet eū peccatorū: deinde ea confitetur: et postremo impositam satisfactionem implet: tum etiam ex uerbis sacerdotis absoluentis.

Extrema unctio est, in qua unctioe olei consecrati, uerbisq; Christi reliquæ peccatorum, indispositioq; & infirmitas animæ sanantur, quatenus necesse est ad constanter, & quiete ab hac uita migrandum. Quæ omnia per gratiā in eo Sacramento datam, sunt.

Hæc quinque Sacramenta docet nos ecclesia omnibus esse necessaria hoc ordine: ut tria prima simpliciter necessaria sint omnibus: sicuti generatio, augmentatio, & cibus sunt cuique animali necessaria ad uitam. Atque ideo sine baptismo, re, uel uoto nō habetur gratia. Et confirmatio ex præcepto necessaria est maxime persecutionis tempore: per quam ad perfectum robur perducimur. Et Eucharistia necessaria etiā est, quemadmodum cibus. Nam sicut diu non uiuit animal sine cibo: ita nec diu potest Christianus in uita gratiæ conseruari sine hoc spiritali alimento. Quare tenetur quilibet hoc sumere, tempore & modo, quo ab ecclesia, quæ dispensatrix est Sacramentorum, & uera interpretatrix præceptorum Christi, decernitur: ut nunc in Paschate: item in mortis articulo. Pœnitentia porro necessaria est, sicut medicina ægrotis, peccantibus mortale peccatū post baptismum. Extrema uero unctio in articulo mortis necessaria est, tanquā robur, & fortitudo contra ultima pericula, & discrimina mortis. Reliqua autē duo Sacramenta, Ordo & matrimoniū, nulli homini particulari sunt necessaria, sed toti ecclesiæ: quæ, cū ex hominibus constet, eget propagatione carnali & spiritali, ut nascantur filii, in quibus dei cultus

C ii conserue-

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

conseruetur: & ut transferatur etiam in aliquos potestas: quæ in ecclesia est necessaria ad spiritalia ministranda. Quæ duo ap-
Psal. 44. tissime significantur illis uerbis *Psal:* Pro patribus tuis nati sunt filii tibi: constitues eos super omnem terram.

Est ergo ordinis Sacramentum, in quo episcopi, summi ecclesie ministri, uerbis domini, actibusq; conuenientibus & potestatem dant ordinatis ad actus super naturales: ad quos certi ordines sunt instituti: & simul cum potestate gratiam ad recte ea potestate utendum.

Matrimonium contractus est legitimus naturalisq; quo uir & mulier ad naturalem generationem, & educationem, & indiuiduam uitam, solenni ac legitima forma conueniunt. Cui contractui inter fideles sanctitatem addidit Christus, gratiam etiam conferens contrahentibus ad recte Christianeq; coniu-
gio utendum.

*Cap. ad
abolendã
de heret.* Hæc de septem Sacramentis publice docet catholica eccle-
sia, ablegans etiam a se & excommunicans omnes, qui aliter sen-
serint, aut docuerint: quæ quidem cognoscit esse in sacris lite-
ris: sed non tamen minorẽ reputat ea esse ueritatis, certo sciens
apostolos, qui cætera scripserunt, hæc fidelibus tradidisse uerbo.

Septima interrogatio.

Restat de explicite credendis, quæ secundo loco posuimus, tractare. Iam ergo a Christiano studioso inquirimus: Quæ sint explicite tradita ab ecclesia de hominis iustitia & moribus? Cui questionis satisfaciendum sic est.

Responsio.

Multa sunt quæ de hominis iustitia, & ad mores instituen-
dos ecclesia publice docet: quæ breuiter collecta ad cer-
ta capita reducimus.

Primum, hominem nasci ex Adam subjectum peccato, il-
liusq;

liusq; seruum, nec posse ad gratiam se præparare, nisi ex gratia, et dei benignitate ei detur. Ipsius enim (inquit Paulus) est uel. *Phil. 26*
 le, & perficere pro bona uoluntate. Verum nihilominus sic
 semper manet homo liberi arbitrii, ut ad pecandum nunquam
 aut cogatur, aut cogi possit, nec unq̄ nō possit nō pænitere pec-
 catis: ita infirmus tamen, ut siue ante remissionem peccati, siue
 post remissum peccatum, ad bona operanda, & ad perseveran-
 dum in ipsis auxilio gratiæ semper egeat: iuxta illud Christi:
 sine me nihil potestis facere. Quæ tria, libertatem arbitrii, in *Ioan. 156*
 firmitatem eius, & necessitatem gratiæ, firmissime credere de-
 bet fidelis quilibet: quantumuis non intelligat. Immo admo-
 nemus simplices fideles, ne anxie laborent de his intelligendis:
 sed propheta se submittentem dicto, confiteantur perditionem
 nostram esse: tantummodo ex deo auxilium nostrum.

Tum, nulli remitti peccatum illud, in quo nascimur: uel
 aliud quodlibet lethale commissum, merito operum quorum-
 cunq; sed deum quibus uult, gratis absq; meritis (ut Paulus ait) *Roma. 4.*
 iustitiam conferre. Non tamē adultis & ratione utentibus eam
 confert sine liberi arbitrii opere, ad deum se per fidem, quæ
 perdilectionem operatur, & per peccati detestationem conuer-
 tentis. Quam conuersionem deus ipse nos iustificans, nobis,
 cum, ut agens principale, operatur: ut in hoc opere præcipue
 illud Pauli sit uerum: non est uolentis, nec currentis, sed dei *Roma. 9.*
 miserentis.

Tum meritis Christi & satisfactione communicari homi-
 nibus hanc gratiam per sacramenta re, uel uoto suscepta: per-
 quam etiam in hac uita iusti & sancti esse possumus, atq; in iu-
 stitia & sanctitate proficere: quod per bona opera gratiam se-
 quentia, & ab ea emanantia consequimur coram deo, iuxta il-
 lud: qui sanctus est, sanctificetur adhuc: qui iustus est, iustificetur *Apo. 22*
 adhuc. Et tamē nihilominus tenet catholica ecclesia, quod
 quamdiu hic uiuitur, omnes etiā sancti, Christo, & beata uir-

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

Iac. 3.
Phili. 2.
Eccle. 5.
Hier. 17
Heb. 6.
 gine exceptis, peccata nonnulla committunt (unde Iacobus inquit: in multis offendimus omnes) quæ licet mortalia non sint: reputant tamē sancti, & ecclesia ipsa sic omnes peccatores esse, ut nisi dei gratia & misericordia præseruarentur, lethalia & grauiora admitterent peccata. Tenet etiam ecclesia neminem posse, speciali dei reuelatione excepta, de sua salute certum esse: sed debere omnes cum metu & tremore suam salutem operari, ac de propitiato peccato non esse sine metu, si eius sint sibi consci: sin minus, dubios nihilominus debere esse, propter humani cordis abyssum inscrutabilem. Multo uero magis propter illius instabilitatem, de perseuerantia atq; continuatione uirtutis debemus omnes timere: atq; in hoc timore ad dei bonitatem anxie recurrere: & eum orantes, uehementer sperare, ac fortissimum spei solatium (ut Paulus inquit) habere, attestantibus etiā bonis operibus & conscientia. Quæ omnia spiritus sancti consolantis nos sunt testimonia. Ea autem donantur magis uel minus pro diuersa dispositione mentium. Non tamen sunt sine timore suscipienda: nec credendum illis, nisi iuxta fidei & scripturæ regulam.

1. Co. 13
 Postremo docet ecclesia esse diuersa genera, & species peccatorum: nec omnia esse paria: immo quædā solum uenialia, nō excludentia nos a gratia, nec a gloria: alia uero mortalia, charitati contraria, & damnationi æternæ obnoxia. Item esse uirtutes dei dona: quarum actus, atq; opera deo sunt accepti, & æterna remuneratiōe digna, si ex gratia fiant: idq; magis, uel minus. Stella. n. differt a stella in claritate. Item esse dei præcepta, quibus ad necessaria obligamur: cōsilia, quibus ad meliora excitamur: prohibitiones, quibus retrahimur a malis. De his tamen omnibus quid in speciali ecclesia doceat, in sequentibus, ubi de operandis agemus, tractabitur.

Octaua interrogatio.

Quia

Quia diximus etiam explicite credenda esse, quæ ecclesia in cultu dei, & Sacramentorum ministerio tenere se publice ostendit: merito queritur: Quæ sint ea, quæ ex usu perpetuo ecclesiæ explicite nobis credenda sunt. Cui questioni sic respondebit ecclesiasticæ doctrinæ studiosus.

Responsio.

Quæ ex ecclesiæ perpetuo usu constat credenda esse, sunt sequentia. Primum, deum publicis orationibus uocibusque laudandum, honorandum, & inuocandum: & esse hunc cultum deo gratum: atque huic muneri explendo deputandos esse ministros, a ceteris sæcularibus negociis & commerciis (quo ad fieri possit) segregatos. Horas item & tempora constituenda, huic exercitio publice obeundo in ecclesiis: & tamen alioqui uti le esse fidelibus priuatim his exerceri.

Secundum, deum etiam colendum sacrificio missæ, oblationeque corporis domini pro uiuis & defunctis in locis, uasis, uestibus ad id sacris: cui conuenientissime orationes & doctrinæ preparatorix, ac aliæ ceremoniæ additæ sunt. Item usum huius sacramenti sub utraque specie non esse omnibus necessarium, sed populo dispensandum modo ab ecclesia statuto: quæ tamen necessarium in eius consecratione iudicat, ut sub utraque specie & consecretur & offeratur, & sumatur a consecrante.

Tertium, in ecclesia fuisse semper diuersa ministeria, diuersos gradus, & ordines: qui non nisi autoritate ecclesiæ & Sacramentis, aut modis, quibus ipsa consueuit, haberi, dari, aut recipi possunt. Item clericis initiatis sacris ordinibus, deputatis uidelicet ad maiora ministeria, semper indictum cœlibatum ex apostolorum doctrina, tanquam actibus ordinum huiusmodi ualde conuenientem, & consonum, quamuis non semper eodem tenore obseruatum.

Quartum, Sacramentorum usum, & dispensationem, missæ
sacramenti

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

famq; recte & dei cultui conuenienter in ecclesia latina latinis uerbis compleri: quemadmodum ecclesia Romana, illiq; coniunctæ semper fecerunt; in sola matrimonii contractione uulgari usq; sermone.

Quintum, deum conuenientissime coli, ieiuniis, abstinentia a cibis, & ab aliis delectabilibus: atq; ea indicendi esse in ecclesia potestatem. Item etiam uota promissaq; perpetua, castitatis præcipue, paupertatis, & strictioris obedientiæ, cultus esse deo gratissimos, & hominibus multum prodesse: eaq; matrimonio, diuitiis, communiq; obedientiæ præferenda esse, ac conseruanda orationibus, uigiliis, cæterisq; id genus, quibus gratiam dei conciliamus nobis.

Sextum, satisfactiones pro culpis post baptismum commissis, necessarias esse etiam remissis ipsis culpis. Item purgatorium post hanc uitam manere, in quo satisfactiones complentur. Item suffragia elemosynarum, & piorum operum prodesse iis, pro quibus fiunt, etiam defunctis, ad satisfactionem complendam: modo fiat in gratia. Item potestatem esse in ecclesia iustis de causis indulgentias atq; remissiones huius satisfactionis debitæ concedendi, & suffragia etiam communicandi defunctis.

Septimum, confessionem peccatorum mortalium post baptismum admissorum integram faciendam esse sacerdoti: sine qua atq; sacerdotali absolute, uel in uoto, non remittuntur peccata. Fieri uero actu debet tempore, quo ecclesia præcipit: atq; ad eam faciendam præmitti conscientiæ examinatio cum gemitu & dolore.

Octauum credendum, deum etiam sanctorum inuocationibus atq; laudibus honorari, & coli: atq; ipsi deo sanctisq; gratas esse litanias, orationes, & alios cultus: qui adoratione præcipue crucis, imaginumq; & reliquiarum ipsorum, peregrinationibus, Luminaribus, thure, cæterisq; quibus ecclesia utitur, fiunt.

Hæc

Hæc omnia ipso opere ecclesia semper tenuit: in qua certo constat nō ex scripturis modo, sed ex sepulchris etiā, antiquis institutionibus, & foundationibus semper fuisse illa seruata. Quare nullus de his dubitare potest, nisi simul de omnium orthodoxorum patrum, & antiquorum conciliorum, ac ideo de totius ecclesiæ doctrina dubitet.

Nona interrogatio.

DE his nunc postremo, quæ tertio loco eorum, quæ explicite credenda sunt, collocauimus, merito inquirimus a Catholicis: Quæ sint illa, quæ ecclesia contra diuersas hæreses explicauit: & quomodo se debeat habere christianus ad ea, quæ cum fidei sint, non tamen ab ecclesia sunt explicata, aut nescit ea explicata esse. Cui interrogationi his maxime temporibus necessaria, in quibus de fidei rebus tanta contrauersia est, respondet Catholicus, magna id attentione considerans.

Responsio.

Multa quidem sunt diuersis locis & temporibus, propter diuersas hæreses ab ecclesia explicata: quæ tamen omnia non necesse est ab omnibus sciri. Nunc uero nostris temporibus statim fere ab exortis recentiorum erroribus, ecclesia primum contra Ioannem Hus, & Wiclef: deinde contra Lutherum & sequaces explicauit ea præcipue, quæ diximus, postquam de fide Sacramentorum cæpimus loqui: quæ satis erit catholico scire, & ab eis uel tantillum recedentem, alienum ab ecclesia putare: ac, quantum uis ouiculæ pellē præ se ferat, lupū rapacem & falsum prophetam credere. Circa alia tamen, quæ aut non explicata, aut non nota sunt, satis erit catholico, pio, atque simplici, ut sit paratus credere & tenere, quod ecclesia tenet & credit: cum id sibi fuerit explicatum. Vnde cum primum noui aliquid audit circa fidem, si quidem sit contrarium iis, quæ

Math. 7

D diximus

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

diximus ecclesiam tenere, & iis, in quibus nutriti sumus in ecclesia, tenetur illi fidem abnegare, semper credens hanc uniuersalem ecclesiae consuetudinem, magistram esse fidei: ueluti si quis dicat, tollendas imagines, crucem non adorandam: aut incipiat irridere aquam benedictam, aut luminarium usum. Cum uero id non est contra iam recepta, & quibus a proauis instituti sumus, nouum tamen: debet Catholicus serpentina illa prudentia utens, nec negare fidem, nec facile praestare: sed expectare testimonium fide dignorum doctorum & pastorum: quos scit manifeste in ueteri ecclesiae more & unione manere: a quibus cognoscat, quid ecclesia declarauit circa illud: recordatus semper illius, cuius Paulus Corinthios admonet: *Obsecro uos (inquiens) per nomen domini Iesu, ut id ipsum dicatis omnes: & non sint in uobis schismata. Sitis autem sinceri in eodem sensu, & in eadem scientia. Nam & ideo in ecclesia dicitur datos esse pastores, atque doctores: ut iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni uento doctrinae in nequicia hominum, & astutia ad circumuentionem erroris. Vnde graui periculo se exponunt his temporibus simplices, praebentes aures dogmatibus nouis. Nec id sine peccato fieri potest: quod consummata iam haeresis est, atque schisma, cum eis auditis ceperit quis de receptis iam aperte dubitare. Claudamus hoc caput, quod aliquanto se latius, quam putabamus, effudit, exhortatione illa sana Apostoli Pauli: doctrinis uariis & peregrinis nolite abduci. Optimum est gratia stabilire cor, & certe ipsa sola est, quae nos potest in fide saluare: quam semper implorantes dicamus: *Dilige me in ueritate tua: & doce me, quia tu es deus saluator meus.**

CAPVT TERTIVM DE SPE, DE fideriis, & oratione Christianis,

TRia sunt, testante Paulo, quæ nos in hac uita ad futuram beatamq; deducunt & comitantur, fides uidelicet, spes, & charitas. Ex quibus licet maior sit charitas: fidei tamen succedit spes: idq; ordine quodam generationis. Sicut enim primum omnium est actus fidei, cognitio scilicet diuinorum: ita eam sequitur motus spei: quo uoluntas deum se posse consequi fidit. Postremo peruenitur ad charitatem, qua deus amatur, ut pater, & suæ nos gloriæ participes faciens. Merito igitur nunc de spe instruendus est catholicus & pius Christianus: quod, ut superius de fide, aptis inquisitionibus ac responsionibus est iam nunc faciendum.

Prima interrogatio.

Primum ergo quæritur, quid sit spes: & unde in nobis: & ad quod opus, seu ad quem finem necessaria. Quibus omnibus, recte instructus fidelis, sic respondebit.

Responsio quid sit spes.

SPes est quædam uoluntatis humanæ a spiritu sancto confirmatio & roboratio: qua non obstante propriæ fragilitatis cognitione, & ualidissima impugnatione demoni, neq; obstantibus peccatis, periculis, & impedimentis sæculi, foelicitatem æternam, ceteraq; ad eam necessaria, bona scilicet omnem excellentia creaturæ cognitionē, consecuturam se fidit, dei inex cogitabili bonitati innixa: atq; ita fidit, ut non quasi nutans & incerta langueat, ac torpeat: sed magna alacritate & certitudine ea desideret, pro eis cuncta bona & uitam etiam ipsam promptissime paruipendens. Hæc sunt profecto mira spei opera omni Christiano cognoscenda: propter quæ Paulus clamat: Spe enim saluati sumus. Authorem uero eius & finem Petrus apostolus ostendit, dicens: Benedictus deus & pater domini nostri Iesu Christi, qui secundum misericordiam

Roma. 8.

1. Pet. 1. 5

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

diam suam magnam, regenerauit nos in spem uiuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, incontaminatam, & immarcescibilem, conseruatam in cœlis. Quas duas apostolorum sententias qui pie cogitauerit, magnam proculdubio dulcedinem spei sentiet.

Secunda interrogatio.

DEinde iam quæ sint ea, quæ sperare nobis licet, iuste quaeritur. Cui quaestioni sic respondebit Christi discipulus.

Responsio de sperandis in uniuersali.

IOAN. 2. 5.

Speranda sunt nobis omnia ea, quæ uoluntas nostra & naturali ratione, & illustrata lumine fidei desiderare iuste dignèq; potest: ita nobis promittente Christo: si manseritis in me, & uerba mea in uobis manserint, quodcunq; uolueritis, petetis: & fiet uobis. Fiet (inquit) quodcunq; petieritis manentes in me, hoc est sequentes exempla doctrinamq; meam.

Tertia interrogatio.

Quæ sint autem hæc, quæ desiderari possunt, & quo ordine, merito iam inquirimus. Cui inquisitioni respondit fidelis.

Responsio de sperandis in speciali.

Desiderare quidē recte & ordinate possumus ea sola, quæ Christus dominus docuit nos in oratione dominica a deo petere: atq; eo ordine, quo nos ipse docuit. Est enim oratio illa non solum forma orandi, sed instructio etiam perfectissima omnium affectuum nostrorum. Sunt autem omnia hæc quatuor ibi posita hoc ordine.

Primum, dei gloria atque reuerentia: ut nos ipsi, omnesq; deum glorificent, cognoscant, & præ cunctis eum solum colant.

lant, atq; ei seruiant. Et hoc est, quod dicimus: Sanctificetur nomen tuum. Nascitur enim desiderium ab amore. Primum autem, & maxime omnium amandus est deus, uti summum bonum, finisq; creaturæ totius. Vnde consequens est, ut primum omnium gloria eius desideretur. Nec enim illi in se aliquid desiderari potest, quod ei desit. Hoc ergo tantum restat desiderandum, ut omnes homines eum ament, & timeant: sicuti ipse Christus summe hoc desiderauit: Ego (dicens patri) te clarificauit super terram: annunciaui nomen tuum hominibus. Ioan. 176

Secundum est, ut illius beatitudinis & gloriæ simus participes. Hoc autem ex charitate statim post primum nascitur. Mox enim, ut deū in se ipso diligimus, nos in ipso amare debemus: quod est ultimum summumq; creaturæ rationalis bonum, & finis. Et hoc est quod oramus: Adueniat regnum tuum.

Tertium uero est id, quod nos directe ad deum dirigit, dignosq; eius gratia & beatitudine facit: merita uidelicet, bonaq; opera: quæ in dei uoluntate adimplenda consistunt: quæq; ut faciamus, nobis per gratiam datur a deo. Ideoq; dicimus: Fiat uoluntas tua, sicut in cælo, & in terra. Habent enim hæc tria perfectissime beati: Suntq; hæc omnia in cælis: glorificatur semper deus ab illis, conregnant cum eo, suntq; illius uoluntati semper conformes. Quod nos hic pro modulo nostro desiderare debemus: sed magis tamen ipsam beatitudinem. Meritoq; illa tria sunt hac clausula conclusa, sicut in cælo, & in terra. Nam quæ iam desideranda restant, solum in terra hæc & exilio sunt necessaria.

Quartum, quod desiderari postremo potest post omnia supra dicta, est quidquid nos ad merita, bonaq; opera adiuuat, atque ad ea quodammodo nobis ministrat. Sunt uero hæc in primis spiritalia: sed exteriora adiutoria: quæ nobis sunt a Christo relicta: quibus interiorem largiretur gratiam: Sacramenta scilicet: inter quæ potissimum est Eucharistiæ: cuius fructum

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

Luc. 11.
Math. 6
 petimus, dicentes: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: quem alius Euangelista uocauit panem super substantialem. In quo etiam postulamus cetera auxilia, & sacramenta gratiae. Sunt praeterea ipsa dei uerba, atque doctrina euangelica, magna animae confortatio, & cibus praecipuus: quae hoc etiam uerbo petimus: scientes non posse nobis, nisi dei gratia, uti necessaria sunt, ea contingere. Denique temporalia quoque ipsa bona, quibus in hac uita sustentamur, adiumenta sunt, cum moderata ac proportionata nostris, nostrorumque necessitatibus possidentur: quae petimus, dicentes: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Porro in uictu illa omnia temporalia intelligimus, ad quae uel ipse uictus ordinatur, uel quae ad ipsum sunt necessaria: qualia sunt, corporis salus, uita, ceteraque ad id pertinentia, ut honor, dominium, excellentia, aliaque id genus, quae possunt licite haberi, & ob bonum finem desiderari, sancteque administrari. Haec quatuor nobis a deo sunt promissa in hac ipsa oratione: cum ea a se petenda nobis proposuerit, Quare sunt ab eo merito speranda.

Quarta interrogatio.

Praeterea adhuc inquirimus, docuerit ne nos dominus quae fugere, atque horrere debeamus, mala: & quo ordine: cui inquisitioni sic erit respondendum.

Responsio.

Docuit nos Christus dominus, quae debeamus nolle & fugere ordinatissime: sicut & quae desiderare debemus: atque etiam liberationem, euasionemque ab eis, cum inciderint, a deo petere & sperare. Ea autem sunt tria: primum dei offensae & peccata: quae maxime, & plusquam mala horrendaque omnia, sunt nobis fugienda: quoniam sunt opposita tum dei gloria: quae, quantum ex ipso peccato est, obscuratur per illud:

Iud: tum foelicitati nostræ: a qua nos excludit: ac deniq; obediētia præceptisq; diuinis: quæ transgreditur. Illius ergo tanti mali remissionem summe desiderare, & a deo petere ac sperare nos docet. Et hoc est quod dicim; Et dimitte nobis debita nostra. Addit tamen legem conditionemque, qua ea remissio est nobis sperāda, subiiciens: sicut & nos dimittimus debitorib; nostris.

Secundum nobis fugiendū tentationes sunt, laqueiq;, & incitamenta: quibus a diabolo maliciaq; nostra, & lenociniis sæculi allicimur ad peccandum: quæ euadere sola dei gratia nos posse certi esse debemus: atq; ab eo solo hoc sperare, ac petere: ne succumbamus, & ne ultra uires tentemur: quod petimus his uerbis: & ne nos inducas in tentationem. Sunt autem hæc post peccata maxime fugienda, tanq̄ quæ ad ipsa peccata nos ducant.

Tertium fugiendum aduersa & calamitates uitæ huius sunt: quæ & fragilitas naturæ nostræ refugit. Ac solent ea quandoq; a deo, uel in satisfactionē, uel in exercitiū uirtutū immiti. Possumus tamen & hæc post omnia supradicta fugere, atq; a deo petere, ut ab eis eruamur: uel patientia nobis consolationeq; spiritali donata, ne eis deiiciamur: uel, si ita iudicauerit summa ipsius sapientia, ab eis nos liberans, ut uel omnino non eueniant: uel, si euenierint, non diutius permaneant. Quod significamus ultimo uerbo: Sed libera nos a malo.

Quinta interrogatio.

Hæc uero tanta, tanq; non solum supra, sed quandoq; etiā contra merita nostra, quæ speramus, iustum est cognoscere, quomodo speremus, quæ ueritate. Ideo merito quærendum a fidei, dicente hæc omnia se sperare: cui hæc spes innitatur fundamento? & quæ sit causa, quare speret? cui interrogationi sic respondendum erit.

Responsio de fundamento, quo nititur spes.

Innititur

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

Mat. 19. **I**nnititur spes Christiana primum diuinæ potestati, & bonitati immensæ, ac gratiæ. Potentia namq; dei summa existit. Vnde discipulis quarentibus, Quis poterit saluus fieri? respondet Christus: apud homines impossibile est: deo autem omnia sunt possibilis. Bonitas etiam eiusdem infinita est. Quare dicitur deus, Benignus, & misericors, patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malicia.

1. Ioa. 2. Tum innititur spes nostra amplissimis meritis Iesu Christi: qui nobis omnia bona apud deum sua obedientia promeruit, & pro omnibus peccatis satisfecit. Itaq; si quis (ait Ioannes) peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non solum pro nostris, sed etiam pro totius mundi.

Ioan. 16
Luce. 11 Tum etiam innititur promissionibus maximis, certissimisq; saluatoris nostri. Nam si quid (inquit Christus) petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Et rursum: omnis, qui petit, accipit &c. Quorum testimoniorum scriptura est plena.

Mat. 18. Et postremo innititur fraternitati unitatiq; ecclesiæ, & auxilio intercessioniq; bonorum. Ait enim Christus dominus: Si duo ex uobis consenserint super terram de omni re, quæcunq; petierint, fiet illis a patre meo, qui in caelis est. Vbi enim sunt duo uel tres congregati in nomine meo: ibi sum in medio eorum. Quo fit, ut nemo oret, tanquam singularis & solus, sed tanquam membrum ecclesiæ: membrum (inquam) huius corporis: cuius sunt sancti omnes, etiam membra. Vnde in hac oratione quilibet orans, deum patrem nostrum uocat, non meum: Et dicit, da nobis: & dimitte nobis: & ne nos inducas: ea omnia non sibi soli, sed omnibus fratribus petens.

Sexta interrogatio,

NE uero hæc tam inconcussis fundamentis innixa spes, incipiat ociosa esse, atque in præsumptionem labatur, est postremo

postremo quærendum: Quæ sint media: quibus spes utitur ad consequenda ea, quæ sperat. Cui etiam inquisitioni sic respondendum est.

Responsio de mediis, quibus utitur spes.

VTitur spes primum quidē oratione: qua a deo in primis conatur consequi auxilium, manumq; ad ea, quæ facere suis uiribus non potest: ut peccatorum pænitere, & in bonis per seuerare. Itaq; Ioannes: fiduciam (inquit) habemus ad deum: & quidquid petierimus, accipiemus ab eo. 1. Ioh. 3

Deinde utitur spes bonis operibus, atq; meritis, gratia dei cooperante, productis. Vnde reposita (ait Paulus) est mihi corona iustitiæ: quam reddet mihi dominus in illa die iustus iudex. 1. Tim. 4

Vtitur deniq; conatibus etiam dispositionibusq; ad gratiam, charitatem, cæteras uirtutes, atq; ad earum augmentum. Quod fit: cum lectione, aut admonitione alterius, aut propria etiã consideratione, ad dolorem peccati, uel ad amorem dei, uel ad profectum in illis aliquis se excitat. Quare inquit beatus Ioannes: omnis qui habet hanc spem, sanctificat se, sicut & ille sanctus est. Verũ, cum hæc omnia fecerit uere sperans, clamat: seruus inutilis sum: quod debui facere, feci: & non intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Neq; uero hæc dicit, dubitans de bonorum operum ualore: sed sciens se in multis etiam offendere. Vnde ait: In te domine speraui: non in me: non in homine. In iustitia tua libera me: non in meis meritis: non in meis conatibus. Maledictus enim homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Et benedictus uir, qui confidit in domino: & erit dominus fiducia eius. 1. Ioh. 3
Luce. 17
Psal. 142
Psal. 30
70.
Hier. 17

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE
CAPVT QVARTVM DE CHARITA
te, cæterisq; uirtutibus, & præceptis diuinis.

SVnt postremo diuina præcepta nobis diligentissime cogi-
standa, & intelligēda. Debent enim hæc totius uitæ nostræ
regula atq; directio, & uera lux esse. Præceptum enim domini
Psal. 118. (ut ait Psaltes) lucidum, illuminans oculos: & alibi: lucerna pe-
Psa. 118. dibus meis uerbum tuum, & lumen semitis meis. Omnia igitur
opera nostra sunt diuinis præceptis dirigenda: uniuersumq;
tempus est in eis ponendum, atq; illis ueluti regulæ cuidam
coaptandum & commensurandum: uitaque nostra in eis tan-
Dent. 8. quam in cardine, uerti debet. De illis enim sic ipse deus loquitur:
Eruntq; uerba, quæ ego præcipio tibi, in corde tuo, & narra-
bis ea filiis tuis: & meditaberis, sedens in domo tua, & ambu-
lans in itinere, & dormiens, atq; consurgens. Et ligabis ea, quasi
signum in manu tua: eruntq;, & mouebuntur ante oculos tuos:
scribesq; ea in limine, & in ostiis domus tuæ. Ut ergo illa conue-
nienter tradamus, & uel ex parte aliqua aperiamus humilibus
Christianis, conuenientibus (ut proposuimus) inquisitionibus
est procedendum.

Prima interrogatio de præceptis in communi.

PRimum ergo a fideli, promptoque domini seruo inquiri
potest, quæ sint dei præcepta, & quot: cui inquisitioni bene
instructus, sic respondeat.

Responsio.

SVnt quidem decem decalogi præcepta a deo populo Israel
Exo. 20 Suerbo in monte Sinai promulgata, atque inscripta lapideis
Mat. 19. tabulis, ac rursus a Christo domino in euangelio confirmata:
cum iuueni quærenti quomodo saluus fieri posset: respondit: si-
uis ad uitā ingredi, serua mandata: quorum statim meminit, in-
quens:

quiens: Non occides, &c. Verum præter hæc decem, sunt etiam alia plura, tum scripto, tum ipsius naturalis luminis instinctu a deo nobis tradita: quibus & uirtutes omnes exercendæ suis temporibus, & uicia omnia se uerper uitanda præcipiuntur. Possunt uero omnia ea præcepta ad tria genera reduci. Sunt enim quædam priora decem præceptis: alia posteriora illis, atque ea sequentia: alia media amborum: qualia sunt ipsa decalogi præcepta: quæ ideo sunt præcipue a deo, populo proposita: quoniã, tanquam media, in se ipsis continent, & quodammodo concludunt reliqua.

Secunda interrogatio de præceptis prioribus decalogo.

DE singulis igitur his generibus præceptorum consequenter querendû est. Primum itaq; quæ sint priora decalogo inquirimus: cui interrogationi sic est respondendum.

Responsio de duobus præceptis charitatis.

DVO sunt præcepta specialia, priora decalogo, in lege posita, & a Christo domino in euangelio sæpius etiam repetita: Quorum primum est: diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omni mente tua, & ex omnibus uiribus tuis, & ex omni uirtute tua, & ex fortitudine tua. Hæc enim omnia uerba inueniuntur posita in diuersis locis scripturæ. Secundum uero est: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Atq; ita dicit dñs apud Math: hoc est maximû, & primum mandatum: Diliges dominum deum tuum, &c. Secundum autem huic simile est: & proximum, sicut te ipsum. Et addidit: In his duobus mandatis uniuersa lex pendet, & prophete. Hæc certe sunt præcepta charitatis. Tenemur enim deum supra omnia diligere: quod illa uerba, ex toto corde tuo &c. significant: deum, inquam, diligere tenemur, uti liberali simum sui ipsius, foelicitatisq; eterne largitoris.

Deut. 6.

Mat. 22

Mar. 12

Luc. 10.

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

deinde nos ipsos iuxta animam, hoc est, animis nostris hanc beatitudinem, & ad eam necessaria uelle primum, maximeq; & præ aliis omnibus: tertio gradu proximos nostros secundum animam: ut post animæ nostræ salutem supra alia omnia proximorum animis, quæ nostris, cupiamus. Quarto gradu nostra, & proximorum corpora sunt amanda, uti animæ organa & instrumenta aptissima, gloriæq; animarum consortia. Suntq; hæc duo mandata præcipua: quoniã de amore, primo uoluntatis opere, & ex quo alia emanant, dantur: quibus impletis, omnia alia implentur: Paulo dicente: omnis lex in uno sermone impletur: diliges proximum tuum, sicut te ipsum.

Gal. 3.

Tertia interrogatio de prioribus præcepto charitatis.

Nunc uero de transgressione, & impletione eorum est agendum, quantum expedit omnes scire. Quæritur ergo rursum, quomodo primum præceptum de dilectione dei contingit transgredi: cui sic satis fiet disquisitioni.

Responso.

In uniuersum quidem per omnia lethalia, atq; grauius peccata, præceptum hoc dilectionis dei transgredimur. Sunt enim omnia peccata contra hanc. Sed sunt tamen quædam speciales, & soli charitati contrariæ transgressiones: per quas quatuor modis contra præceptum dilectionis dei peccatur.

Primum per nimium aliarum rerum amorem: cum aliquid uel plusquam deus, uel quantum deus, amatur a nobis: ut uita, honor, pecunia, filius, uxor. Tenemur enim sic semper uiuere, ut dei amor præponderet, atq; præmineat cunctis aliis, quæ amantur: ita dicente Christo in euangelio: Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus. Et qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus. Atque pari ratione posset dicere: qui amat æque ut me: quod alibi dicit: si quis

Mat. 10.

si quis uenit ad me, & non odit patrem, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc & animam suam, non potest meus esse discipulus. Odit (ait) mei respectu, atque comparatione, & quatenus mihi sunt illa contraria. Luc. 14.

Tum per odium dei, primum maximumque peccatum, damnatorumque proprium: in quod desperantes, atque nimium peccatis assueti quandoque deueniunt: iuxta illud euangelii: Viderunt, & oderunt me, & patrem meum. Apprehendentes enim desu, ut contrarium, prohibentemque, atque punientem suos prauos affectus, oderunt, detestantur, nollentque esse. Ioan. 15.

Tum per acidiam huic proximam, tedium scilicet atque tristitiam, torporemque, quo spiritalia fastidiuntur, & (quod grauius est) quo diuina ipsa ita displicent, atque amara fiunt, ut tristitemur de illis: quod uocant sancti acidiam, fastidium, mentis nauseam, atque abominationem: qua præ infirmitate, gustusque deprauatione, diuina deusque ipse incipiunt displicere. Est etiam hoc, cum pleno consensu rationis committitur, grauissimum peccatum, & non nisi perditissimorum hominum.

Postremo contra dilectionem dei sunt contemptus dei, atque peccata in spiritum sanctum, grauissima sane atque solum desperantium in malis: iuxta illud Salomonis: Impius cum uenerit in profundum malorum, contemnit. Nascuntur autem hæc peccata ex nimia assuetudine peccandi: ex qua fit homini connaturale peccare. Sunt uero hæc: primum, cum quis peccat tantum, ut faciat contra dei præcepta: quoniam hoc illi solum est gratum, quia peccatum est. Amat enim animus sic dispositus non subiici: iuxta illud Hieremie: dixisti: non seruiam. Deinde cum aliquis animum in peccatis affirmat: ea, per quæ a peccatis retrahitur, fugiens: quales sunt ii, de quibus loquitur Esaias: Populus (inquiens) ad iracundiam prouocans est: filii mendaces: filii nolentes audire legem: qui dicunt uidentibus, nolite uidere: & aspicientibus, nolite aspicere ea, quæ recta sunt: loquimini nobis Pro. 18.

E iii

placencia:

Hier. 2
Esai. 30.

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

placencia: uidete nobis errores: auferte a me uiam: declinate a me semitã: cesset sanctus Israel a facie nostra. Hi uidelicet sunt, qui nolunt ea, per quã a peccatis retrahuntur, audire uel cogitare: sed illis obstinata mente resistunt. Et deniq; cum animo proponit quis a peccato se non recessurum: & cum ueritatem agnitam impugnat, quippe suis affectibus contrariam: & cum gratiã dei inuidet, doletq; quod increseat. Quã omnia directe sunt contra charitatem dei.

Quarta interrogatio de secundo præcepto charitatis.

NVnc de secundo præcepto charitatis proximi inquiritur etiã, quomodo illud contingat transgredi: cui quæstioni respondendum iuxta præcedentem quoq; responsionem.

Responsio.

Multa peccata sunt in uniuersum contra proximi dilectionem: qualia sunt, quã contra præcepta erga proximum fiunt: ut occidere, detrahere, &c. Specialia uero contra hoc præceptum sunt: primũ quidem, schisma: cum quis se ab unitate ecclesiã separat: aut nollens se tanq; membrum uerã ecclesiã & Christi gerere, uel capiti ecclesiã & uicario Christi subdit: aut illam uolens destruere. Hoc peccatum plane est contra charitatem: qua ecclesiam Christi tenemur prosequi, maiori certe, quam singularem aliquem Christianum. Tum peccatur contra proximi dilectionem per odium proximi. Tum etiam per inuidiam. Quorum utrunq; lethale peccatum est, cum pleno consensu rationis committitur: ut cum malum proximo uolumus, quia malum est illi: uel de eius bono, quia illi est bonũ, uel quia nobis efficitur superior, dolemus. Tum quoq; peccatur contra præceptum de dilectione proximi, per omissionem subuentionis, atq; operum misericordiã & corporalium, & spiritaliũ: quã proximis tenemur in articulo necessitatis impendere, Maxime uero

uero tenemur ad præstanda spiritalia: quæ peccata ipsa (maxima certe mala atq; ultimas hominis miserias) respiciunt. Quorum primum est, peccatorem corrigere, & quantum in nobis est, a peccato abstrahere, iuxta id Euangelii: Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum, Secundum, ignoscere, cum in nos peccat. Tertium, sustinere, cum est grauis. Quartum, orare etiã pro eo, iuxta id euangelii: Benefacite iis, qui oderunt uos: Orate pro persequentibus, & calumniantibus uos. Præterea tenemur quoq; contra mala alia animæ, pro ut possumus, & necesse esse uidemus, afferre remedia: ut consolari tristem, instruere & docere ignorantem, dubio hærentiq; in agendis, consilio assistere. Quæ septem opera spiritalis misericordiæ nobis distinxerunt patres. Deinde uero obligamur ad corporeas etiam necessitates proximorū pellendas, quantum est in nobis: de quibus & Christus dominus in die iudicii singularem se rationem exacturum dicit: quas & sancti ad septem misericordiæ opera reduxerunt, colligentes ex illo euangelii: Esuriui, & dedistis mihi manducare: Sitiui, & dedistis bibere: Hospes eram, & collegistis me: Nudus, & cooperuistis me: infirmus, & in carcere, & uenistis ad me. Vbi duo connumerantur sancti patres, captiuorū redemptionem, & infirmorū uisitationem: quibus & addiderunt mortuorum sepulturam: qua Tobiam deo placuisse constat. De his ergo curam singularem habere tenemur. Estq; eorū ommissio, peccatum: idq; graue, cum magna est ipsa ommissio: & quidem lethiferum, cum necessitati proximi desumus. Postremo contra dilectionem proximi peccatur per scandalum: cum quis proximum ad peccatum trahere ex intentione, atq; proposito uult: uel cū aliquid sic facit, ut inde sequatur proximis peccandi occasio, aut peccandi exemplū, atque nihil id curat. Hoc enim est scandalizare fratrem. Ad quod reducitur, cum a bonis operibus quis indebite retrahit proximum.

Mat. 18.

Math. 6.

Mat. 25.

Tob. 12.

Quinta

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

Quinta interrogatio de Fidei, & Spei præceptis.

Post hæc duo prima atque præcipua præcepta, sunt ne alia decalogo priora?

Responsio.

SVnt proculdubio duo alia præcepta de duabus aliis uirtutibus theologicis, fide & spe: sequunturq; merito charitatis præcepta sicut dignitate (est enim maior horum charitas, ut inquit Paulus) ita & exercitio atque usu. Nam, ut idem ait: charitas omnia credit, omnia sperat. Præceptum autem de fide illud est: Qui non crediderit, condemnabitur. De spe uero illud Psal: Sperate in eo omnis congregatio populi.

1. Co. 13

Mar. ult.

Psal. 6.

Sexta interrogatio de peccatis contra hæc duo præcepta.

Quomodo ergo hæc præcepta transgrediamur, & quæ sint peccata illis contraria, iuste iam quæritur.

Responsio.

Fidei quidem præcepto aduersamur, primum per infidelitatem: siue sit hæresis post fidem receptam: siue sit gentilium, aut Iudeorum infidelitas. Hi enim omnes peccatum infidelitatis peccant, post auditum euangelium.

Tum per Apostasiam a fide, seu totius fidei desertionem, atque professionem alterius religionis.

Tum per magnam socordiam negligentiam ue addiscendi, cognoscendi, atq; cogitandi ea, quæ fidei sunt: quæ sane, cum ualde est supina, atq; notabilis, est nonnunq; graue, atque lethale peccatum.

Et deniq; per omissionem confessionis fidei: cum id uel ad dei gloriam, uel ad ædificationem proximorū est necessarium.

Corde

Corde enim (inquit Paulus) creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Vnde dominus: Qui confitebitur me (ait) coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo. Multo uero grauius peccatur contra hoc præceptum per negationem fidei, aut confessionem oppositi: quod idem est. Quamuis enim oppositum mente teneatur, ueraque fides insit cordi: graue tamen atque lethale peccatum hoc est.

Rom. 10

Mat. 106

Præcepto autem spei aduersamur per duo peccata contraria: scilicet aut per desperationem, cum quis aut peccatis, aut fragilitate propria deterritus, dicit cum Cain: Maior est iniquitas mea, quam ut ueniam merear: aut per præsumptionem, cum ultra id, quod a deo promissum est, quis sperat: ut ueniam, in peccato perseverans, aut foelicitatem sine meritis.

Gen. 46

Septima interrogatio de præceptis decalogi in uniuersali.

IAm nunc de præceptis decalogi docendus est Christi discipulus. Quæ ergo, & quare sint hæc decem decalogi præcepta tradita, quæritur. Cui questioni debet sic legis dei studiosus respondere.

Responsio.

Decem uerba deus loquutus est populo in Sinai: quæ & scripto seruari mandauit, decem præcepta iustitiæ tradens: quibus insignia quædam legis naturæ continentur principia: & quibus ad ea recte facienda, quæ communiter in uita occurrunt, instituuntur homines. Per quæ populus memor esse posset aliorum plurimorum præceptorum: quæ postea in lege tradita sunt: quæ nec tam aperta existunt, nec ita communiter eueniunt. Illa igitur sic iuxta sanctorum patrum communem, magisq; receptam distinctionem numerantur.

Exo. 206

Primum est: Ego sum dominus deus tuus, qui eduxi te de
F terra

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

terra Aegypti, & de domo seruitutis: Non habebis deos alienos coram me: Non facies tibi sculptile, nec omnem similitudinem, quæ in cœlo est desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorû, quæ sunt in aquis sub terra: nec adorabis ea, nec coles ea. Ego sum dominus deus tuus, fortis zelotes, uisitans peccatum patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me, & faciens misericordiam in millia iis, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. Quo uerbo magnam suam auctoritatem deus ostendens, idololatriam prohibet, peccatum maxime deo ingratum: atq; addidit etiam seuerissimam comminationem, & piissimam promissionem.

Secundum est: Non assummes nomen domini dei tui in uanum. Non enim habebit infontem dominus eum, qui assumpserit nomen dei sui frustra. Quo prohibetur & irreuerentia notabilis in iurando uane per dei nomen: & maxime periurium,

Tertium: Memento, ut diem Sabbathi sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: septimo die Sabbathum domini dei tui est. Non facies omne opus in eo, tu & filius tuus, & filia tua, seruus tuus, & ancilla tua, iumentum tuû, & aduena, qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit deus cœlum & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt, & requieuit die septimo. Idecirco benedixit deus diei Sabbathi, & sanctificauit eum. Quo præcepto præcipitur, ut homo tempus, ad colendum, atque honorandum deum, & ad debitam ei religionem exhibendâ designet. Porro tunc fuit dies Sabbathi in memoriam creationis, & figuram sepulturae Christi deputata. Nunc uero dominica in memoriam resurrectionis & scelicitatis, ad quam per Christum perducimur, uniuersali traditione ecclesiae designata est. Refferuntur autem hæc tria præcepta ad deum: quæ prima tabula scripta traduntur: & quibus docemur deo reddere, quod principi atque capiti Reipub: debe-

tura:

etur: Primum, ut honor illi debitus, non alteri tradatur per idolo-
latrariam: Tum ne nomini memoriaeque eius fiat uilipensio, uel con-
tumelia per periurium. Et denique, ut debitus ei honor cultusque
tribuatur. In quibus fundamentum studiosae uitae & totius uir-
tutis, religio nempe, & dei honor, collocatur. Nam remoto per
primum praecipuum maximo impedimento, idolo latria, & per
secundum alio non paruo, irreuerentia, tertio dignus & conue-
niens dei cultus praecipitur. Quare haec tria praecipua, omnia,
quae deo debemus, continent. Ad quae plura alia reducuntur.
Sequentia uero uerba sunt secundae tabulae: quibus in iis, quae
erga proximos sunt, recte instruimur.

Quartum est: Honora patrem tuum & matrem tuam, ut
sis longeuus super terram: quam dominus deus tuus daturus
est tibi. Quo praecipuo maximum debitum, primumque, quod
homini debetur, exoluere praecipimur: quale parentibus debe-
mus. Quo in loco non solum de caeterorum maiorum hono-
ratione submonemur, sed etiam de aliis omnibus, quae lege na-
turae obligamur proximis impendere.

Quintum: Non occides. Quo homicidium prohibetur,
laesio certe maxima personae ipsius proximi. Vbi & occulte ad-
monemur de caeteris, quae in personam proximi fiunt.

Sextum: Non moechaberis. Quo prohibetur adulterium,
iniuriaque proximi in personam ipsi maxime coniunctam: qua-
lis est uxor. Vbi & caetera uenerea peccata significantur pro-
hibita.

Septimum: Non furtum facies. Vbi prohibetur laesio pro-
ximi in propria substantia, per furtum scilicet, caeteraque iniusta
circa contractus, atque commercia.

Octauum: Non loqueris contra proximum tuum falsum
testimonium. Vbi prohibetur iniuria proximi, quae uerbo fit,
maxime contra famam eius.

F ii Nonum;

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

Nonum: Non concupisces uxorem proximi tui. Vbi sola uoluntate moechari etiam prohibetur.

Decimum: Non concupisces domum proximi tui, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia, quæ illius sunt. Vbi ne uoluntate quidem aliena esse auferenda præcipitur. Et sane his duobus præceptis non sola opera peccatorum exteriora damnari, significat etiam consensum solum uoluntatis damnari a deo in cæteris omnibus peccatis.

Sunt autem præcepta hæc, magna diligentia & discenda & cogitanda: atque ea, quæ in singulis latent, excutienda, & attentius intelligenda. Quare & de singulis latius nunc tractandum est.

Octaua interrogatio.

DE primis itaq; tribus, quæ prima tabula diximus contineri, quæritur, quid illis prohibeatur, & quomodo ea transgredi contingat: cui est talis danda responsio.

Responsio.

Primum præceptum transgredimur: Primum per idololatriam: quæ diuersis modis ab excæcatis gentibus committitur. Aut enim creatura aliqua in se: aut in imagine: aut imago tanquam diuinitatis aliquid habens, colitur. Quæ uerbis illius præcepti deus significat: Non habebis (inquiens) deos alienos coram me: & rursus: non facies tibi sculptile, nec adorabis, nec coles. Coluntur autem idola a gentibus, sacrificiis, ludis, & aliis id genus.

Item per diuinatoriæ artis usum, aut requisitionem: cum quis incerta, atque maxime ea, quæ ex arbitrio hominum pendent, studet cognoscere per apertam inuocationem demonis, uel per auguria, uel per somnia, uel per stellas, uel per sortes, uel per alia eiusmodi. Est enim in his omnibus occulta inuoca-

tio.

tio demonis: atque quodam modo illis attribuitur diuinitas. Hoc enim est soli deo propriū futura illa, & causam indiffinitā habentia cognoscere. Vnde ait Esaias: quæ uentura sunt annunciate nobis, & dicemus, quia dii estis. Quare dñs de hoc præcepit præceptum specialius: Nō inueniatur in te (inquiens per Moïsem) qui ariolos sciscitetur, aut obseruet somnia, aut auguria. Nec sit maleficus, aut incantator, nec qui pythones consulat, nec diuinos, & quærat a mortuis ueritatem. Omnia enim hæc abominatur dominus: et per Hierē: a signis cœli (inquit) nolite timere, quæ timent gentes. Et Apostolus Paulus seuerissime admonet nos omnes, Galatas repræhendens, ne illis innitatur. Ait enim: nunc autem cum cognoueritis deum, immo cogniti sitis a deo, quomodo conuertimini ad egenā & infirma elementa, quibus denuo seruire uultis: dies obseruat, & menses, & tempora, & annos. Timeo uos, ne forte sine causa laborauerim in uobis.

Esai. 41.

Deu. 18.

Hier. 102

Gal. 4.

Item per obseruationem usumue aliquorum signorum, siue aliarum rerum ad effectus aliquos: ut ad sanitatem, aut bonum aliud consequendum, aut ad malum uitandum: ad quod non habent uirtutem uel naturalem, uel a deo supra naturam datam: ueluti cum carmina dicuntur: aut breuia collo suspenſa gestantur: aut obseruationes aliæ uanæ fiunt ab iis, qui aliquid inde expectant. Sunt enim hæc omnia uana, habentq; occultam quandam demonis inuocationem: cum fidelis sola oratione, atque spe in deum, naturalibusq; rebus uti debeat, iuxta illud Psal: Beatus uir, cuius est nomen domini spes eius: non respexit in uanitates, & insanias falsas. Sunt porro hæc tria sæpius lethalia peccata. Aliquando tamen in hoc tertio peccato, & in secundo bona fides, aut ignorantia, aut aliquid aliud excusant.

Psal. 39.

Postremo per superstitionem, cultusq; ueri dei excessum: quod fit, cum falsum aliquid in dei cultu assumitur, uel contra-

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

rium ecclesiae definitioni & sensui: ut si quis miracula falsa, aut hærelin doceat, aut prædicer: uel sine uestibus, aut uulgari sermone uelit celebrare, aut aliquid aliud de dei cultu decretorum in ecclesia, transgredi: uel etiam inhonestas, aut uanas cantilenas officio dei adiungat. Hæc quidem omnia ex se graua sunt & lethalia: licet aliquando possit aliquid excusare. Deinde quoque est in dei cultu excessus: cum aliquid assumitur, uel ad dei gloriam, aut ad mentis nostræ in deum subleuationem, aut ad moderatam carnis macerationem non pertinens: uel præter communem consuetudinem ecclesiae. Ad quod pertinet, cum festa non recepta celebrantur: aut nouæ missæ, siue ceremoniæ inducuntur. Quæ quamuis non sint ex se peccata lethalia, maxime tamen sunt uitanda: ut scilicet deus iuxta antiquum ecclesiae ritum colatur. Itaque sunt hæc tria, species superstitionis.

Secundo præcepto primum prohibetur irreuerentia in iuramentis: cum quis uel sciens, falsum iurat, siue asserendo, siue promittendo: uel non implet, quod iuramento promiserat: uel aliquid mali & iniustum iurat. Quæ quidem sunt periuria, grauioribus, & lethalia ex se. Vane uero, sine necessitate, ioco, aut quouis alia leui causa iurare, irreuerentia est non ex se lethalis.

Adiunguntur autem huic præcepto alia, quibus omnis irreuerentia in deum prohibetur: quorum quædam sunt grauiora ipso periurio: alia leuiora. Ea tamen hoc tanquam medio continentur, & includuntur: quorum primum est blasphemia, maximum peccatum & pessimum, damnatorumque proprium: cum aut uerba indigna de deo, sanctisue, efferuntur affectu ingrato, & quasi detestatione quadam: aut cum operibus ipsis, deo sanctisue honorem detrahimus: ut in conculcatione imaginis, & in similibus.

Secundum est dei tentatio: cum aliquis a deo miracula petit, & præter communem uiam aliquid habere uult sine ulla necessitate,

cessitate, & dei instinctu: uti qui petit sibi reuelari horam mortis, uel uitæ tempus, &c. Estq; de hoc præceptum legis a Christo domino in euangelio adductum. Scribitur enim in lege: *Mat. 4.*
 Non tentabis dominum deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis. Petierant namq; carnes, cum a deo alerentur Manna. *Deut. 6.*
 Est autem hæc dei magna irreuerentia, ex se quidem grauis: excusat tamen eam aliquando ignorantia.

Tertium est superbia, uicium proprie, quo contra deum extollitur homo: cum uel a se aut suis meritis gloriatur aliquid se habere, illoq; ut proprio, inflatur: uel cum super ea, quæ habet, extollitur: uel cæteros despicit. Hæc enim omnia præferunt magnam dei irreuerentiam. Vnde scripum est: Deus superbis resistit: & in Psal: superbi inique agebant usq; quæq; idest, ualde admodum. *Iacob. 4.*
1. Pet. 5.
Psa. 118

Quartum deniq; est sacrilegium, uel irreuerentia illata rebus sacris, diuinoq; cultui deputatis: cuius multe sunt species: quarum prima est, cum personæ deo sacratæ contemnuntur, aut irridentur, aut percutiuntur: Secunda, cum in ecclesiis ipsis locisq; sacris indigna tranctantur, aut fiunt prohibita in eis: ut si quis negociationes exercent, immunitatē uiolet, in honesta faciat, aut loquat. Tertia, cū Sacramenta indigne tractantur, aut sumuntur: aut cum ad illicita quis eis utitur: ut si quis nō integre confiteretur, aut contaminatus peccato reciperet corpus domini, &c. Quarta, cum ipsa uerba dei, uel scriptura sacra peruertuntur, aut corrumpuntur, aut trahuntur ad inhonestas, uel uana. Quinta, cum irreuerenter tractantur res alia sacræ: ut uestes ecclesiæ, uasa, aut alia ornamenta. Sexta ponitur etiam inter has species sacrilegii, fractio uoti, usus ue hominis deo dicati ad contraria illis, quæ deo se offerens promittit: qualis est in inhonestas profitentis calibatum, &c. Septima species

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

species sacrilegii est simonia: cum spiritalia, aut eis annexa dan-
tur non gratis, ut a Christo domino præceptum est. Octaua
deniq; est ecclesiasticæ potestatis, uel poenæ contemptus, aut
transgressio præcepti, uel excommunicationis. Quod sane gra-
ue sacrilegium est. Verum in his omnibus multa sunt graui-
a lethaliaq; ex se: alia uero non adeo: quæ sic percurrisse satis
fit.

○

Tertio præcepto directe quidem & primum, quatenus est
id legis naturæ, & nunc lege gratiæ confirmatum est, præcipi-
tur homini aliquando deo uaccare, deum colere, atque per
actus religionis ei placere. Nam licet omnia in laudem, & glo-
riam dei dirigere possimus: actus tamen, quibus præcipue co-
litur, hic præcipiuntur. Sunt autem hi actus: Primus deuotio,
atq; promptitudo ad se deo exhibendum: quæ meditatione be-
neficiorum dei, atque bonitatis ipsius, & cogitatione proprio-
rum peccatorum excitatur. Quod significatur illo Psalmo:
Psal. 99. Iubilate deo omnis terra: Seruite domino in lætitia. Et idē etiam
Psal. 94. sonat totus ille Psalmus: Venite, exultemus domino: iubilemus
Luc. 18. deo salutari nostro. Secundus est oratio: quam Christus præ-
cipit: Oportet (inquiens) semper orare, & non deficere. De qua
1. Tim. 2 & Paulus: uolo (ait) uiros orare in omni loco, leuantes puras
Mar. 11. manus. Per quos duos actus cordis, obsequia & cultus deo of-
ferimus. Tenemurq; præstare illos propter necessitatem con-
sequendæ salutis: quæ maxime est promissa orationi. Nam quic-
Psal. 36. quid (ait dominus) orantes petitis, credite, quia accipietis, &
euenient uobis. Ad hanc uero orationem requiritur deuotio
iuxta illud Psal: Delectare in domino: & dabit tibi petitiones
cordis tui. De quo debet salutis suæ cupidus diligenter querere
a quo instruat, & docti ac deuoti magistri sequi consilia.
Actus autem religionis exteriores sunt etiam duo: quorum est
Primus adoratio, corporalisq; in dei reuerentiam inclinatio.
De qua sæpe legitur in sacra scriptura: Vt in illo euangelii: pro-
cidentes

identes adorauerunt Magi Christum. Et in Psal: Venite adoremus, & procidamus ante deum. Secundus est sacrificii, alius cuius ue rei exterioris oblatio facta deo in protestationem illius excellentiæ, aut beneficiorum, &c. De quo Psaltes: Afferte (ait) domino filii dei: afferte domino filios arietum. Quæ quidem nunc in sacrificio altaris maxime fiunt. Est præterea uotum oblatio quædam rei promissæ, simpliciterq; actus religionis: ut & eius adimpletio: quemadmodum iuramentum est dei infallibilis ueritatis confessio. Item uocalis laus, & cantica oblatio quædam sunt: de qua Dauid: Psallite (inquit) deo nostro, Psalite: & rursum: Vouete, & reddite domino deo uestro omnes, qui in circuitu eius affertis munera. Huc etiam pertinet oblatio primitiarum, & aliorum, quæ ad sustentationem ministrorum dantur: ut sunt decime: quas præstare tenetur quis, uel propter necessitatem ministrorum, uel propter ecclesiæ statutum, uel propter consuetudinem. Est autem in omissione horum aliquando graue peccatû. Deinde quoq; ex ecclesiæ statuto & consuetudine tenemur iuxta hoc præceptum deum sanctosq; reuereri actibus illis, temporibus, atq; modis, quibus ecclesia instituit. Contra quod peccatur: cû diebus festis ea, quæ præcepta sunt, omittuntur: ut auditio missæ: aut cum ieiunia uigiliis festorû indicta, aut ciborum delectus, quem ecclesia ex apostolorum, Christiq; traditione sanctissime constituit, aut confessio peccatorû, aut communio in Paschate, aut satisfactio a iudice spiritali in confessione imposita, aut alia id genus negliguntur. In quib⁹ omnibus sunt graues omissiones. Deniq; circa ipsa etiam diuina officia, quæ ex præcepto uel audiri, uel dici debent, ob mentis diuagationem separationemq; a debita attentione peccatur tanto magis, quanto illa fuerit maior, aut magis uoluntaria.

Math. 2.
Psal. 94.

Psal. 28.

Psal. 46.

Psal. 76.

Nona interrogatio.

G lam

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

IAm quaramus, quæ nobis quarto præcepto præcipiantur a deo, & quare: & quæ peccata illi sint opposita!

Responsio,

CUm præcedentia præcepta nos satis instruxerint quomodo nos habere debeamus erga deum colendum, conuenienti ordine, hoc quarto præcepto præcipiuntur nobis ea, per quæ nos recte geramus erga parentes, qui post deum sunt nostri principium, & quibus post deum tenemur maxime obsequium præstare. Sunt autem ea actus pietatis, uirtutis scilicet: quam Philosophi posuerunt in parentes, patriamq; colendo. Sunt uero ii actus, honorare, obédire, & subuenire parentibus. Quibus annectuntur quoq; opera, quæ consanguineis tenemur exhibere: quale primum est, ut pater filium, dirigat, instruat, & nutriat. Debent enim parentes thesaurizare filiis. In quibus domestici etiam intelliguntur. Minoribus enim tenemur nos gerere, ut patres: superioribus, ut filii. Vnde Paulus ait: Qui suorum maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. Est itaq; commissio eorû peccatum, graue magis minus ue pro quantitate ipsius. Sed longe tamen est grauior commissio contrariorum: qualis est iniuria in patrem uerbo, aut opere, uel quodcunq; aliud nocumentum. Quæ peccata hic maxime intelliguntur prohibita.

Simili ratione præcipiuntur hic etiã uirtutes pietati affines, eamque ordine quodã sequentes. Quarû prima est obseruatiã: qua iis, qui in dignitate sunt, cultum honoremq; exhibemus. Tenemur enim id illis facere post parentes. Et sunt certe ii quodam modo parentes. Paulus ergo sic nos admonet: reddite omnibus debita: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Quare commissio eius est peccatum: sed multo magis eius contrariû. Secunda est obédientia: qua superioribus omnibus obédimus. Nã de ea: obédite (ait Paulus) præpositis uestris, & subiaceite eis. Est autê huius commissio peccatû graue, cû homines grauiã præcepta, atq; in rebus grauib; transgrediuntur. Ter-

1. Co. 12

1. Tim. 5

Rom. 13

Heb. 13.

tia est gratia, siue gratitudo: qua beneficis tenemur nos gratos exhibere affectu, uerbo, atq; opere, cum opus fuerit. Atq; est etiam huius ommissio peccatum: sed multo magis, cum contrariū fit: quod post Paulus statim post inobediētiā maiorum po^o Roma. 2. nit: Parentibus (inquiens) non obediētes, ingratos.

Decima interrogatio.

Quarendam nunc est, quid quatuor sequentibus præceptis, quæ & negatiua sunt, nobis prohibeat deus: ac quomodo contingat transgredi illa.

Responsio.

Prohibentur optimo ordine sequentibus quatuor præceptis, proximorum læsiones, damnaq; opere & uerbo: idq; secundum ordinem grauitatis ipsorum peccatorum.

Quinto itaq; præcepto, quod inter ea negatiua primum est, prohibetur læsio uitæ proximi, aut potius omnimoda eius destructio, occisio scilicet illius, Est enim in genere suo homicidiū grauissimū peccatorū, quæ in proximū cōmittuntur: aut certe eorū, quæ in exteriora hæc, atque corporalia bona proximi committi possunt, Est uero id non solū contra iustitiā: sed etiam contra charitatē: qua post propriū corpus debemus corpus proximi diligere. Ergo primo hoc præcepto occisio iniusta & non secundum iuris ordinē, prohibetur, & quicquid in uitæ hominis perniciem fit: ut abortus, & sterilitatis medicamenta.

Deinde etiam prohibetur omnis corporis læsio, uel mutilatio, uel illatio cuiuscunq; uolentię, aut nocumenti non secundū iuris, legitime ue correctionis ordinē. Quibus annexa sunt: iniustū bellū, quod quauis causa facere & psequi, est grauissimū peccatū: Duella: & cæterę priuata pugnæ, atque congressus hostiles. Huc quoq; pertinet ira, quæ appetitus est uindictæ. Ac quamuis uindicta aliquādo nō in corpore: sed aut in fama, aut honore, aut reb⁹ aliis expectet: prohibet tamē hic in uniuersum

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

Rom. 12 uindictæ iniustæ appetitus. Vnde Paulus ait: Noli uinci a ma-
Math. 5 lo, sed uince in bono malum. Et dominus in euangelio: si quis
 percusserit te (inquit) in dexteram maxillam, præbe ei alteram.
 Atq; hoc modo tenemur inimico ignoscere, ut non iniustam
 uindictam uelimus de eo sumere: Immo ne iustam quidem, pra-
 uo ducti animo, atq; ob illius malum: neq; illam dirigamus aut
 cupiamus in damnum illius, sed aut in animæ eius utilitatē, aut
 saltem in bonum nostrum. Prohibemur item signa inimicitia
Mat. 54 ostendisse, uel amicitia denegasse, iuxta illud: diligite inimicos
 uestros: benefacite iis, qui oderunt uos: orate pro persecuti-
 bus, & calumniantibus uos.

Sexto præcepto primum prohibetur adulterium: quod est
 tum iniuria proximi, cuius uxor ab alieno capitur: tum etiam
 generationis humanæ impedimentum, propter confusionem
 cognoscendi proprium parentem: quod tamen humana na-
 tura & ratio uolunt ac desiderant.

Prohibetur præterea omnis fornicatio, & omnis delectatio
 uenerea. Quæ solum licita est in matrimonio Christiano, atque
 iuxta regulas sanctæ honestatis, quas Paulus ponit: ut sciat
1. The. 4 unus quisq; (inquiens coniugatis) uas suum possidere in sancti-
 ficatione & honore, & non in passione desiderii, sicut gentes,
 quæ ignorant deum. Cætera uero alia maxime sunt christiano
 fugienda: petendaq; a deo integra castitas: quæ illi maxime pla-
 cet. Quare ita in libro Sapientia scribitur: O quam pulchra est
Sap. 4. casta generatio. Et Tobias senex sic cum filio loquitur. Atten-
Tob. 4. de tibi, fili mi, ab omni fornicatione: & præter uxorem tuam
 nunquam patiaris crimen scire. Sunt item omnes aliæ impu-
 dicitia, diuersaq; corruptæ carnis nostræ delectationes etiã mi-
 nores consummata illa delectatione, hoc præcepto prohibita.

Eph. 5. Quare clamat Paulus Christianis: fornicatio autem, aut om-
 nis immundicia nec nominetur in uobis. Hæc autem scitote,
 intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus non ha-
 bet.

bet hæreditatem in regno Christi & dei. Et alibi: Abiiciamus Rom. 13
 (inquit) opera tenèbrarū. Sicut indie honestè ambulemus, nō
 in cubilibus, aut impudiciis.

Visus etiam ipse, & auditus procax fugiendi sunt. Vnde Ephes. 5.
 Paulus dicebat: fornicatio, aut omnis immundicia, nec nomi-
 netur in uobis, nec scurrilitas, aut turpitude, aut stultiloquium,
 quæ ad rem non pertinent: sed magis gratiarum actio. De uisu Eccli. 9.
 uero sic in libro Ecclesiastici scribitur: Noli circumspicere in
 uicis ciuitatis, nec oberraueris in plateis illius. Auerte faciem
 tuam a muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam,
 Propter speciem mulieris multi perierunt: & ex hac concupi-
 scentia quasi ignis exardescit. Speciem mulieris alienæ multi
 admirati, reprobi facti sunt. Colloquium enim illius, quasi
 ignis exardescit. Cum aliena muliere ne sedeas, neq; accumbas
 cum ea super cubitum. Omnia hæc ergo adolescentibus maxi-
 me conuenit considerare. Atque de his omnibus, in quibus ta-
 men magis uel minus peccare contingit, debet salutis suæ stu-
 diosus in sancto illo iudicio confessionis quærere doctrinam.
 Est enim peccatum hoc multiplex: neq; expedit extra illud sa-
 lutare iudicium plura de eo loqui: sed in eo iuxta conditionem
 confitentis prudens medicus dabit conueniens remedium ad
 cognoscendum & præcauendum hunc contagiosum morbū.

Conuenienti ordine & ratiōe potest etiā adiungi huic præcep-
 to gulæ prohibitio: quæ consistit in domanda, reprimēdaq; cor-
 poris delectatione in cibo, & potu: ac de qua dñs: Attendite (in- Luc. 21.
 quit) ne grauentur corda uestra crapula & ebrietate. Et Paulus: Rom. 13.
 Non ambulemus, ait, in comestationibus & ebrietatibus. Gula
 igitur, quæ in cibi immoderatione consistit, in quinque species di-
 stincta est. Etenim aliquis excedit, aut comparans cibos precio-
 sos: aut curiosius paratos quærens: aut ultra modum cibum
 sumens: aut anticipans tempus: aut ardentius in cibos inhi-
 ans. Suntq; omnia hæc peccata aliquando lethalia; aliquando

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

minora. Ebrietas uerò, in qua mens rationis usu priuatur, ex se peccatum lethale est.

Possunt etiam simili ratione prædictis addi prohibitiones omnium uiciorum ad immodestiam in gestibus, uerbis, exterioriq; cultu pertinentium. Est enim modestia uirtus quædam, quæ modum regulamq; in omnibus statuit. Atq; ideo est temperantia quædam. Nam, ut de singulis loquamur, de auditu sapiens ait: Sæpi aures tuas spinis, & noli audire linguam detrahentem: et de lingua; facito (inquit) frenos ori tuo. Et Iacobus: Qui se putat (ait) religiosum esse, nō refrenans linguam suam, sed se ducens cor suum, huius uana est religio. De oculis autem dicit Iob: Pēpigi fœdus cum oculis meis, ne cogitarem quidem de uirgine. Et Dauid ita precatur: Auerte oculos meos, ne uideant uanitatem. Ac deniq; de cæteris omnibus corporeis gestibus & motibus scriptum etiam sic est: amictus corporis, risus dentiū, & gressus hominis indicant de eo. Peccatur itaque per immoderatum usum horum sensuum.

Circa ludum quoq; solaciaq; humanæ uitæ aliquando necessaria esse debet sua quædam temperantia & modus: excessusq; in eis iuste prohibetur. Vnde Christus clamat: Vg̃ uobis, qui ridetis: & in Tobia Sara ait: Nunquã cū ludentibus miscui me, neq; cum iis, qui in leuitate sensus ambulant, participem me feci. Est autem excessus in his peccatum maius aut minus pro materiæ uarietate.

In uestibus etiam ornatuq; seruanda est sua temperantia & regula. Nã & mulieribus ipsis, quibus natura ornatū ampliorem misisse uidetur, Apostolus modū in ornãdo ponit, scribens: ornãtes se cum uerecundia & sobrietate, nō in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, uel ueste preciosa, sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per bona opera. Quæ quidem multo magis uiris dici possunt. Satis sit nunc ostendisse hãc gulam intemperantiamq; sensuum omniū & exteriorū rerū, prohibitam

hibitam esse a deo. Circa quæ tamen latius sigillatim docendus est quilibet: quatenus scilicet requirit uel necessitas, uel conditio cuiusq̃.

Possunt ad hoc præceptum reduci præcepta de fortitudine, uirtutibusq̃ illi coniunctis. Item prohibitiones uiciorum oppositorum. Sicut enim temperantia delectabilibus uitæ moderatæ utitur: sic hæc dolores, uulnera, & mortem ipsam sustinet, ac contemnit. Itaq̃ consistit hæc uirtus in moderato uitæ, atq̃ incolumitatis amore: uitam tamen ipsam propter melius bonum, dei scilicet honorem, uirtutem, salutem animæ, aut Reip: defensionem despiciens. De quo est illud præceptum Christi: *LUC. 22.* ne terreamini ab iis, qui occidunt corpus, & post hæc nō habent amplius, quid faciant. Ostendam autem uobis, quem timeatis. Timete eum: qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Est ergo immoderatus timor hoc præcepto prohibitus. Sequitur hanc uirtutem patientia, qua homo non deiicitur tristitia in malis aduersisq̃, sed forti stat animo: de qua dñs: in patientia (inquit) uestra possidebitis animas uestras: & la *LUC. 216* cobus: Patientes (ait) estote fratres, Prohibetur igitur hic deiiciens illa tristitia, de qua Paulus: sæculi (inquit) tristitia mortem *Iacob. 5.* operatur. *1. Cor. 7*

Item perseuerantia, longanimitasq̃ sunt fortitudo quedam: per quas homo nec diuturnitate laboris, nec longiori dilatione præmii deiicitur a uirtute: et de quibus dñs inquit: qui perseue *Mat. 104* rauerit usq̃ in finem, saluus erit. Prohibetur itaq̃ leuitas, atque inconstantia: per quas facile homines retrocedunt propter occurrentes molestias, aut defectum delectationum: contra quos dominus dixit: Nemo apponens manum ad aratrum, & respi *LUC. 9.* ciens retro, aptus est regno dei.

Magnanimitas etiam fortitudo quædam est: qua magna, quando opus est, aggredimur: nec retrahimur difficultatibus, cui opponuntur: tum pusillanimitas, quæ præ deiectione animi non audet aggredi ea, quæ debet: tum præsumptio, quæ ea

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

quæ sunt supra vires aggreditur. Est autem ommissio actus fortitudinis, & extremorum eius commissio peccatū nonnunquā etiam graue.

Septimo præcepto prohibemur damnum, iacturamq; proximo in propria substantia inferre. Quod primum fit per furtū, & per rapinam: cum uel clam, uel aperte & ui alienum capimus. Tum per iniustam, quamcunq; commutationem: ut cum pluris uenditur, uel minoris emitur res, quam ualeat: aut cum fraus alia ab emptore uel uenditore committitur in occultandis uiciis uenditæ rei: aut alio id genus modo. Tum per iniusticiam in mutuo dando. Est enim ea usura aperta, uel palliata. Quod prohibet Christus dominus: Mutuum (inquit) date, nihil inde sperantes. Tum per peccata iniquitatis iudicii, quod est circa bona, siue commodum aliquod aut incommodum: siue illa iniquitas sit ex parte litigantiū, siue patronorū, siue testium, siue iudicis. Hi enim oēs, si quid lædunt fraudibus aut quouis alio modo, peccant, tenenturq; resarcire incōmodū. Tū per peccata iniquæ distributionis dignitatum, bonorumq; Reipub: cum respicitur in distributione persona: nec consideratio habetur meritorū: ut cum indigno dantur, uel minus digno. Quod etiam & peccatum est, & ad restitutionem obligat eo modo, quo fieri potest. Tum per dominorum immoderatas exactiones, omniumq; iudicum, & officialium extorsiones ultra propria stipendia: quod & prohibebat Ioannes: Estote (inquit) contenti stipendiis uestris: & rursus: neminem concutiatis. Tum per eorundem negligentias, atque incurias: ex quibus damna detrimentaq; eueniunt, uel Reipub: uel subditis, uel litigantibus: sicut ex dilatione sententiæ, &c. Quæ omnia etiam ad restitutionem obligant. Tum per subditorum in dominos fraudem, aut subtractionem debitarum iustarumq; exactio-num, contra illud Pauli: Reddite omnibus debita: cui tributū, tributum: cui uectigal, uectigal. Tum potest ad hoc præceptū referri

referri auaritiæ prohibitio : quæ est immoderatus pecuniæ amor: quâ Paulus simulachrorum seruitutem dicit, radicemq; omnium malorû. Estq; sine dubio lethale peccatum: cum amor pecuniæ eo hominem rapit, ut contra præcepta dei agat, uel in ipsa ultimum finem ponat. Tum prodigalitas, uicium omnino auariciæ oppositum, huic potest annecti: qua immoderate quis sua dissipat. Quod fieri uix potest sine eorû damno, quorû cura cuiq; incumbit. Est certe id peccatum: graueq;, cum grauis sit iactura. Hæc porro duo uicia in propria substantia, contraria liberalitati, atq; magnificentiæ, quæ modum tenere in erogatione, atq; amore pecuniæ tam in paruis quam in magnis rebus docent, uisum fuit hoc loco posse commodius apponi. Et postremo huc etiã pertinere potest prohibitio ambitionis, atq; inanis gloriæ: quæ uicia sunt in nimio & excedente appetitu honoris atq; gloriæ: suntq; grauia nonnuquã atq; lethalia, semper uero periculosa. Quare & prohibêtur sæpe a Christo domino. Nam apud Mathæum. Noli (ait) tuba canere ante te: sicut hypo Math. 6
critæ faciunt, ut honorificentur ab hominibus. Et Paulus: Non Gal. 5.
simus (inquit) inanis gloriæ cupidi.

Octauo præcepto primum prohibetur omne mendacium in iudicio in damnum proximi: quod iniustitiæ peccatum est, atque ad restitutionem obligans: siue sit ex parte iudicis, siue testis, siue litigantium. Id committitur, cum uel uerum, quod secundum iuris ordinem petit iudex, occultatur quouis modo, aut quibusuis uerbis: uel cum falsum aperte dicitur. Deinde simili modo prohibetur omne mendacium: quod semper peccatum est: sed graue tamen atque lethale, cum in damnum proximi, aut circa diuina committitur. Officiosum uero aut iocosum, minora sunt. Hypocrisis etiam & simulatio, quædam mendacia sunt, atque ideo peccata.

Omnes præterea iniuriæ, quæ uerbis fiunt, possunt hic intelligi

H

telligi

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

Mat. 56

telligi prohibita: quarum prima est contumelia: cum quis uer-
bis alium inhonorat corā. De qua dominus apud Matheum:
Si quis (inquit) dixerit fratri suo Racha, reus erit iudicio. Si
dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Cum autem ea iniuria
grauiter fit, non est paruum peccatum. Fit uero grauitur, cum
dedita opera & animo inhonorandi, aliquid iactamus in proxi-
mum: aut, si animus malus absit, tale tamen, quod uere inhono-
ret. Atque huc refferuntur rixæ, & minæ: quæ conuiciis, ac iniu-
riis coniunctæ esse solent: Item contentiones: quæ aliquando
grauiores existunt: ut cum quis contendit contra ueritatem
agnitam, aut de rebus grauibus: uel cum in ipsa contentione
ad iniurias se conuertit. Aliquando uero leues fiunt, in rebus
scilicet leuibus.

Mat. 56

Secunda est detractio: qua famæ alicuius, bonum nomen de-
trahimus, & in qua proximum lædimus. Quod certe cum gra-
ue quid refertur de aliquo, graue est peccatum, si fiat animo læ-
dendi. Si uero non hoc animo fiat: sed ob utilitatem ali-
quam, aut zelum, aut certe loquacitatem id dicatur, aliquando
peccatur: cum scilicet uel ea profertur, quæ uere infamant:
uel eo modo, ut ordo correctionis non seruetur. Huic est an-
nexa susurratio: qua quis inter fratres discordiam seminat.
Itaq; Paulus in catalogo malorum ponit susurrones, detracto-
res, deo odibiles. Audire item detractiones est peccatum: gra-
ueq; cum ipsa detractio grauis est. Vnde noli (ait Sapiens) au-
dire linguam nequam.

Eccli. 28

Tertia est irrisio: quæ ad contemptum, atque confussionem
alicuius dirigitur. Estq; graue peccatum, cum uel ea animo con-
temnendi fit, atque nimium uilipendi proximum, ipsumq; ad
erubescentiam grauem adducendi: uel cum, etiam si non hoc
animo fiat, tamen ita fit grauitur, ut inde sequatur grauis eru-
bescentia, aut dolor sic irrisi. Multo uero id peccatum grauius
est, cū maior, aut iustus, aut maxime cum quis propter uirtutis
opus.

opus irridetur. Id enim sæpe a bene agendo retrahit homines. Quare in prouerbiis de deo dicitur: ipse deludet illos. Irri- *Pro. 2.*
dere autem dei punire est, iuxta illud *Pfal. 2.* Qui habitat in cœlis, irridebit eos. Est sane hoc peccatum iuuenibus, ac præsertim aulicis cognoscendum, & uitandum.

Quarta est maledictio, seu mali imprecatio facta alicui: quæ, cum pleno rationis consensu fit, atq; est id, quod imprecamur, graue, lethalis est. Quare Paulus ait: Nec maledici, nec rapaces regnum dei possidebunt. Ex lapsu uero linguæ, atque non omnino ex animo existens, uitanda est; quamuis non sit lethifera. *1. Cor. 6*

Quinta deniq; est iudicium temerarium; quod cum sit iniusticia quædam corde solo facta, potest prædictis etiam adiungi. Aperte autem id prohibetur a domino speciali illo præcepto: Nolite iudicare, & non iudicabimini; nolite condemnare, & non condemnabimini. Existit autem hoc peccatum: cum res, quæ potest bono atq; malo animo fieri, a nobis iudicatur malo animo facta; uel etiam cum absq; sufficienti ac necessaria causa proximum mali alicuius damnamus, uel solo corde nostro. Estq; graue id peccatum, cum peccati alicuius grauis illum damnamus. Quo enim iudicio iudicaueritis (ait dominus) iudicabimini: & qua mensura mensi fueritis, remetietur uobis. *Mat. 7.* Suspitiones uero leues, quæ fiunt cum non integro iudicio, sunt uitandæ quantum fieri poterit: non tamen graues reputandæ, nisi ex eis aliud grauius sequatur. Nam has efferre & palam facere, iam ad detractionem pertinere potest.

Vndecima interrogatio.

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

Q Varendum iam est, quid nono præcepto atque decimo prohibeatur, & quare id prohibeatur: ac quibus etiam modis contra ea præcepta peccetur: cui quæstioni sic est respondendum.

Responsio.

His duobus præceptis prohibentur non sola opera ipsa, actusq; exteriores furti, & adulterii: sed concupiscentiæ etiam cum integro uoluntatis consensu in opus. Itaq; non mœchari, aut furari solum: sed uelle etiam ea perpetrare, peccatum est. Quod Christus dominus in euangelio satis ostendit: Audistis, (inquiens) quia dictum est, non mœchaberis. Ego autem dico uobis: qui uiderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo. Est autem non solum in his duobus, sed in omnibus etiam aliis generibus peccatorum certissimum, esse quoq; peccata ipsos uoluntatis consensus in opera peccatorum perpetranda. Nam ita dominus ait: omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Posita uero sunt hæc præcepta tantum de his duobus: & quia proniores sumus ad concupiscendum: & ut per illa, cætera quoq; intelligantur.

Mat. 5.

Mat. 5.

Consideremus ergo in omni peccato exterioris operis, duos esse gradus: Quorum primus est operis ipsius perpetratio: ut homicidium, furtum, aut quoduis aliud: in quo est completio peccati. Secundus uero est huic propinquissimus, consensus ipse in opus, etiam si peccatum in opus non erumpat. Est autem hic gradus prior altero in ipsa exequutione.

Ac quoniam duos hos gradus hic deus nobis aperuit, debemus etiam duos alios his inferiores in omnibus peccatis agnoscere: qui ad hæc præcepta reduci possunt: Suntq; diligenter Christiano salutis suæ studioso cognoscendi, & uitandi, quantum fieri poterit. Horum igitur primus prædictis duobus propinquior est, consensus nempe rationis in cogitatione peccati,

peccati,

peccati, atq; in solam delectationem cogitationis. Quod patres uocarunt, cogitationem morosam. Si quis enim, etiamsi nolit mœchari, tamen uelit cogitare inhonesta, atq; ipsa cogitatione delectari, peccauit, & mœchatus est in corde suo. Nam hæc prohibet dominus: Auferte (dicens) malum cogitationum uestrarum ab oculis meis. Deus enim, qui corda intuetur, hæc delectatur. Vnde scriptum est: Peruersæ cogitationes separant a deo. Estque hoc etiam lethale peccatum: cum quis plena de liberatione, atq; consideratione hæc facit. Secundus uero est hoc remotior a primis duobus, ut antea dixi, motus scilicet quidam appetitus nostri in illicita ante considerationem rationis: quem proculdubio non est in potestate nostra prohibere omnino, ne insurgat: sed possumus tamen post considerationem, aut ex toto extinguere, aut certe reprimere, ne ad consensum usq; trahamur. Propter hos motus clamat Paulus: Ego autem carnalis sum, uenundatus sub peccato: & rursum: Non enim quod uolo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio. Quare hæc sunt uenialia, atq; minora peccata: quæ sancti se cōfitentur habere: pro quibus orant: Dimitte nobis debita nostra. Hos ergo quatuor gradus omnis fidelis intelligat ultimis his præceptis esse significatos. Sunt uero inter hos aliqui alii gradus: ut cum quis dubius est, an consenserit in delectatione cogitationis, an non: aut cū nescit, an plene considerauerit, an non. Quæ humili animo sunt in confessione detegenda: atque quo ad fieri possit de his instruendus fidelis. Verum: hæc proposuisse sit satis: ut omnes in his diuinis præceptis se, uitamq; suam, tanquam in speculo considerent. Quamobrem ea iam in compendium duximus contrahenda, & omnibus fidelibus ob oculos collocanda: ut in eo compendio, ueluti in speculo, uitæ animæque suæ maculas deprehendere possit: uitentq; opprobrium illud quod Iacobus scripsit: Si quis (inquiens) auditor est uerbi, & non factor, hic comparabitur uiro consideranti uultum.

Esaï. 1.

Sap. 1.

Roma. 7.

Iacob. 1.

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

ti uultum natiuitatis suæ in speculo. Considerauit enim se, & abiit: & statim oblitus est, qualis fuerit. Consequantur uero id, quod mox subiecit, his uerbis: Qui autem perspexerit in lege perfectæ libertatis, & permanferit in ea, non auditor obliuio- sus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.

Prima & maxima uirtus charitas; cuius præcepta duo.

Primū: diliges dominū tuū, &c.

peccata contra hoc præceptum.

- ☞ Amor creature equalis dei amori, uel maior illo.
- ☞ Odium dei.
- ☞ Contemptus dei.
- ☞ Acidia.
- ☞ Peccata in spiritum sanctum.
- ☞ Animi obstinatio in dei offensa.
- ☞ Impugnatio ueritatis agnitæ & a peccatis homines auocantis.

Secundū: diliges proximū tuū, sicut te &c.

peccata contra hoc præceptum.

- ☞ Odium proximi.
- ☞ Schisma à fidei & ecclesie unitate;
- ☞ Inuidia.
- ☞ Omissio operum misericordie, & subuentionis proximi.
- ☞ Scandalum,

Fides, secunda uirtus Theologica: cuius præceptū est.

Qui non crediderit, condemnabitur.

peccata contra hoc præceptū.

- ☞ Infidelitas, uel Apostasia à fide.
- ☞ Abnegatio fidei etiā solo ore. (sitatis.
- ☞ Omissio confessionis fidei tēpore neces-
- ☞ Negligentia addiscendi fidei doctrinam.

Spes

Spes, tertia uirtus Theologica; cuius
præceptum est.

Sperate in eo om-
nis cōgregatio po-
puli, Psal. LXI.

peccata contra }
hoc præceptū }
 ☐ Desperatio,
 ☐ Præsumptio de salute.

Post has uirtutes theologicas, sunt quatuor præcipue, quas
cardinales uocant, Prudentia, Iusticia, Fortitudo, Temperantia.
Præcipua autem pars iusticiæ est religio: de qua dantur tria pri-
ma præcepta Decalogi.

Primum præceptum Decalogi.

Non habebis
deos alienos
coram me,

peccata cōtra }
hoc præceptū }
religioni con-
traria. }
 ☐ Idololatria.
 ☐ Diuinatio.
 ☐ Observationes uanæ.
 ☐ Omnis superstitio in cultu dei: qua sal-
so, aut superfluo cultu deus colitur.

Secundum præceptum.

Non assumus nomen
dei in uanum; quo præ-
cepto omnis irreueren-
tia dei & diuinorum
prohibetur.

peccata con-
tra hoc præ-
ceptum. }
 ☐ Periurium.
 ☐ Blasphemia.
 ☐ Tentatio dei.
 ☐ Sacrilegium circa personas,
loca, Sacramēta, uerba sacra,
& res alias sacras.
 ☐ Superbia.
 ☐ Infidelitas in fractione uo-
torum.
 ☐ Simonia.
 ☐ Potestatis ecclesiasticæ con-
temptus, uel inobedientia.

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

Tertium præceptum.

Memento, ut diē Sab-
bathi sanctifices.

hoc præcepto
præpiuntur
actus reli-
gionis: qui
sunt hi.

- ☞ Oratio
- ☞ Deuotio
- ☞ Adoratio corporalis
- ☞ Oblatio sacrificii
- ☞ votum
- ☞ Iuramentum
- ☞ Vocalis laus
- ☞ Oblatio primitiarū, atq;
decimarum.

Post religionem sequitur pietas. pars etiam iustitiæ: qua pa-
rentes, patriamq; colimus. Item obseruantia, qua eos, qui
in dignitate sunt, honoramus. Item obedientia, qua obedimus
superioribus. Item gratia, qua benefactoribus grati sumus.
De prima porro datur quartum præceptum: quo reliqua etiã
tria continentur implicite.

Quartum præceptum.

Honora patrē
tuum & matrē
tuam, &c.

peccata con-
tra hoc præ-
ceptum.

- ☞ Omissio honoris, Obædientiæ, Gra-
tiæ, erga parentes, uel maiores
 - ☞ Omissio curæ eorum, quæ ad corpus,
& ad animã pertinent erga inferiores: ut
erga filios, uel erga eos, q loco sunt filiorū
 - ☞ Commissio contrarij alicuius horum:
ut contumelia in parentes. &c.
- Sunt etiã hæc circa eos, qui in dignitate
sunt maiores, & benefactores, iuxta pro-
portionem suam consideranda.

Quatuor sequentia præcepta iniusticias in proximos prohibent: & primum, homicidium: de quo quintum præceptum,

Quintum præceptum.

Non occides. } peccata contra } ¶ Homicidium.
 hoc præceptū. } ¶ Bellum iniustum.
 } ¶ Grauis quæcunq; corporis læsio iniusta.
 } ¶ Ira.

Post Iusticiam sunt fortitudo, atq; temperantia, de qua solum est sextum præceptum, prohibens quandam intemperantiæ speciem: ad quod tamen reducuntur omnia alia, ad temperantiam, & fortitudinem pertinentia.

Sextum præceptum.

Non mœchaberis. } peccata } ¶ Adulterium, & Fornicatio, ac cæteræ species luxuriae, atq; omnes impudiciæ.
 contra } ¶ Gula.
 hoc præceptū. } ¶ Omnis immodestia sensuum, atque immoderatio. } hæc tria sunt modestiæ contraria.
 } ¶ Nimietas, excessusq; ludi.
 } ¶ Vestium etiam immoderatio.
 } ¶ Timor mortis uel dolorum immoderatus, à uirtute auertens.
 } ¶ Inconstantia opposita perseuerantiæ.
 } ¶ Pusillanimitas in aggrediendo difficilia, cum oportet.
 } ¶ Impatentia in sustinendis malis.

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

Septimo præcepto peccata contraria Iusticia, læsioq; proximi in substantia propria prohibentur. Vbi etiam alia peccata, quæ circa honorem, facultates, uel alia bona temporalia committuntur, intelligi possunt.

Septimum præceptum.

Non fur-
tū facies.

peccata contra
hoc præceptū.

- ¶ Furtum, Rapina, Iniusta commutatio, Usura, Iniustum iudicium de temporali bono.
- ¶ Iniqua distributio, siue respectus personarum.
- ¶ Negligentia administrandi iusticiam.
- ¶ Extorsio iniqua iudicum, dominorum, aut quorumcunq; officialium.
- ¶ Substractio tributorum uel aliorum, quæ superioribus debentur.
- ¶ Auaricia omnis pecuniæq; appetitus.
- ¶ Prodigalitas.
- ¶ Ambitio, & appetitus gloriæ.

Octauo præcepto, quæ sunt contra honorem alicuius prohibentur. Vbi etiam intelligi possunt omnia, & in quibus loquendo in proximum delinquimus, & quibus illius æstimatio in bonum nomen detrahimus.

Octauum præceptum.

Non

Non loqueris
contra proximum
falsum
testimonium,

peccata contra
hoc præceptū,

- ¶ Mendacium in iudicio contra famam
proximi.
- ¶ Negatio ueritatis, cum iuste exigitur.
- ¶ Omne mendacium in uniuersum.
- ¶ Contumeliæ, Rixæ, Minæ.
- ¶ Detractiones, Susurraciones.
- ¶ Irrisio.
- ¶ Imprecatio mali.
- ¶ Iudicium temerarium.

Omniū ergo uirtutum hic præcepta sunt tradita. Prudentia namq̃, quæ sola uidetur deesse, coniuncta est cuilibet uirtuti. Iustus enim suam habet prudentiam: temperatus etiam, ac fortis suā. Et quanquā sunt nōnulla peccata peculiariter prudentiæ opposita, ut inconsideratio, & præcipitatio consilii: hæc tamen annexa esse solent aliis, quæ per alia præcepta prohibentur.

I ii

Secundus

SECUNDVS LI- BER IN EXPLICATIONEM PRIL mi Capitis lib.I.

Præfatio de ratione & ordine sequentium librorum.



Vnt iam ea, quæ quatuor superioribus capi-
tibus satis diffuse explicuimus, latius expo-
nenda, ac ueluti ruminanda: ut, cū ex eis, quæ
succincte atq; summatim diximus, in fidei &
morum doctrina utcunq; instructum, atq; pro-
motū se uiderit studiosus salutaris doctrinæ,
incipiat paulatim fructum huius institutionis,

Psa. 118
Psal. 18.

& doctrinæ fidei colligere, ac suauitatem degustare sapientiæ
diuinæ: de qua Psalter dicitur: Quam dulcia faucibus meis
eloquia tua: super mel ori meo. Et rursus de diuinis præcep-
tis loquens, atq; iudiciis: Desiderabilia (ait) super aurum, & lapi-
dem preciosum multū, & dulciora super mel, & fauū. Id autem,
sequentes eundem ordinē, quo ea capita posita sunt, faciet us.
In quibus tamē legēdis id, quod supra admonuimus, rursus ad
memoriam reuocare, non ab re esse credimus: ut scilicet in ea,
quæ sequuntur, non statim lector se præcipitem effundat, sed
sensim, ac humili sensu legens, quæ se capere, & in quibus pro-
ficere se cognouerit, attentius meditetur: ad ea uero, quæ non-
dum intellectu comprehendere poterit, & orationis, & docto-
rum utatur auxilio. Nec erit aliquando inutile: si quibusdam
non satis perspectis, ad clariora se transferat. Ac poterunt, aliis
ommissis illa, quæ in expositione primi capitis, & symboli, & ma-
xime, quæ de incarnatione, passione, & cæteris incarnati dei
mysteriis dicuntur, legi, Sunt enim mysteria illa, & deuotionis,
& cha^o

& charitatis plena: facileque simplicioribus sese meditanda offerunt. Sunt enim ea uerissime paruulorum lac: quo nutriti, breui in uiros perfectos euadunt, intellectu & affectu ad altiora, diuinaq; eleuati. Verum quamdiu paruuli sumus, sequamur Petri Apostoli consilium, & quasi modo geniti in fantes, lac concupiscamus: ut in eo crescamus. Neq; Paulus imperfectos aliud docet, quam Christum Iesum, & hunc crucifixum.

Caput primum de explicatione diffinitionis hominis.

Cognitio sui quam sit cunctis necessaria, ethnicorum etiã literis traditum est: qui dixerunt de coelo descendisse illud: cognosce te ipsum. Sed illa cognitio, eiusq; necessitas longe aliter ostenditur in scriptura sacra, quam in prophanis literis. Nam in Canticis deus sic alloquitur animam sibi per Baptistum copulatam: Si ignoras te o pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post uestigia gregũ, & pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum. Vbi figurato hoc sermone ostenditur aperte, quod ignorantia naturæ suæ hominem e seipso expellat, & infra semet eum dejiciens, iumentis irrationalibus inferiorem faciat. Nam si ignoras te (ait) egredere, & abi post uestigia gregum: esto bestiis similis: quæ ipsæ se non cognoscunt, neq; aliud, quam bruta curant, & faciunt: quia non habent uirtutẽ, qua altiora faciant. Tu ergo te nõ cognoscens, uiues, ut iumentum: idq; tibi ignominiosissimum est: qui habeas uirtutem, & te cognoscendi, & supra irrationalia desideria ad spiritalia, diuinaq; ascendendi. Verum hæc, & uerba ipsa citata, infra fient apertiora. Nunc uero illa proposita diffinitio hominis tractanda est. Debet itaq; ante cœnia fidelis attentius suam naturam considerare, illa tractans animo: Homo est dei creatura:

INSTITVTIONIS CHRISTIANÆ

Psa. 138
 dei opificium, mirabile certe, & cæteris omnibus mirabilius, ut nunq̄ satis ipse homo se possit admirari. Quod dicebat Dauid: Mirabilis facta est sciētia tua ex me: confortata est, & nō potero ad eam. Deinde infigat cordi uerba illa dei: Faciamus hominē ad imaginē, & similitudinem nostrā: et illa: formauit dñs deus hōem de limo terre, & inspirauit in faciem eius spiraculū uitæ:

Gene. 1.
Gen. 2.
 His imprimis admonetur Christianus, se a deo totum esse, deumq; totius boni creatorem, omnium principiū, & hominis etiam uerū genitorem ac patrem esse: cuius terrenus pater instrumentū fuit ad illius generationē: nō secus, quā serra, uel dolabra instrumenta sunt fabri: a quo magis opus pendet, quā ab instrumentis: immo cuius solius dicitur esse ædificiū. Ceterum uoluit deus parentibus aliquid magis dare, quā potuit artifex ferre: ut scilicet se cognoscerent, & suam similitudinem filiis, & uoluntate libera communicarent: in hoc tamen etiam, ut dei instrumenta. Vnde certissimum est illud fortissime Machabeorum matris dictum: Nescio qualiter in utero meo aparuitis. Neq; enim ego spiritum donauī uobis, & uitam: & singulorum membra non ipsa compegi: sed mundi creator: qui formauit hominis natiuitatē, quiq; omniū inuenit originē. Quibus uerbis mater illa sanctissima deo tribuebat, & acceptū referebat, quod filios genuisset: atq; id, quod in ipsis habere uidebatur, deo totū reddebat, dei magis quā suos eos esse agnoscens: quod illos quoq; iubebat cōsiderare, ac deū uerū parentē amare. Quare rursus aiebat: Peto nate, ut aspicias ad cælum, & terrā, & ad omnia, quæ in illis sunt: & intelligas, quoniā de nihilo fecit ea deus, & hominū genus. Omnia porro suā originem, principiumq; repetunt: illud contingere desiderant: extra illud non requiescunt. Sis ergo, o fidelis, erga deum, uerum parentē, principiumq; tui, gratus, deuotus, & humilis.

Deinde ad ea uerba scripturæ sacre attendēs, non generali, seu quadā cōmuni ratione solū, ut alia, se esse a deo creatū cōsideret sed speciali præcipuaq; utpote factū ad imaginem, & simili

tudinem dei. Etenim quemadmodum longe aliter producit ar-
 tífex filiũ suũ, q̄ fabricatum aliquod opus. Hoc enim non ad na-
 turæ ipsius similitudinẽ accedit, sed ad formã illã, exemplarq̄,
 quod ipse formauit: filium uero ad illam propriam sui ipsius ui-
 uamq̄ imaginem produxit, & quidem: uiuum etiam ipsum. Sic
 & deus Opt: Max: cætera ad normam quandam, & exemplar
 naturæ alicuius produxit: Hominem uero producturus, ait: Fa-
 ciamus ad imaginem, & similitudinem nostram: ut scilicet ho-
 mo assimiletur mihi in eo, quod mihi proprium est, nempe in
 cognoscendo & intelligendo: sitq̄; capax omnium bonorũ meo-
 rum: sicuti filius. Vnde nunquid (ait Moyses) non ipse est pater Deut. 32
 tuus, qui possedit te, fecit, & creauit te? Quod singularis etiã illa
 cura, & consiliũ ostendunt: Faciamus (dicentis) hominem. Cæ-
 tera nanq̄ nõ tali consilio explicatur facta. Nã sic scribitur: Di-
 xit, fiat lux: & facta est lux. Dixit, fiat firmamẽtũ, &c. De homine
 uero speciale habet consiliũ: ut ostenderet, & opus ipsum elabo-
 rari cæteris esse, & ad altiora produci. Quãobrẽ merito sic cla-
 mat ppheta: Quid est homo, quia memor es eius: & filius hõis, Psal. 86
 quia reputas eũ: Alia. n. quasi nõ reputans creat: hõem uero quã Psal. 143
 to cõsilio creatũ conspicimus: Ex quo initio intelligimus aperte Sap. 20
 illud, quod Sapiẽs uerissime de deo dixit: Cũ magna reuerentia
 disponis nos. Quare cum ingenti gaudio, & humili gratiarum
 actione assiduo cogitemus, quanti nos fecerit deus.

Hinc iam ad suã ipsius naturã progressus fidelis, consideret il-
 lud: Formauit dñs deus hominẽ de limo terræ (quod secundum
 corpus est intelligendũ) & inspirauit in faciem eius spiraculum
 uitæ: quod significat animam de coelo, & a deo uenisse, non de
 terra natam, aut productam. Nam de aliis omnibns non sic
 dicitur: Sed germinet terra herbam uirentem: producant
 aquæ reptile animæ uiuentis, &c. Item iumentis non aliunde
 indita est anima: Sed tota e terra producta sunt. Vnde anima,
 quæ est in illis, tota est corporea, nec aliquid in eis est supra
 corpus.

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

corpus. Homo uero corpus habet terrenum, sed animam cœlestem, immo propinquissima quadam imitatione diuinam. Nec enim cœlum inspirauit in faciem eius, sed deus ipse. His admonitus, incipiet homo mirari animæ suæ naturam, non distantiam locis, aut spaciis, non mole aliqua terminatam, sed totam in quacunq; corporis parte, atq; in corpore uniuerso ubiq; integrâ, nō diuisam: atq; hanc tantæ uirtutis, ut immortalitatis, æternitatisq; ei insit desiderium, & quædâm cognoscendi uis, nunquã aut repleta, aut repleti ualens. Quæ omnia ualde corporis grauitatem, atq; obscuritatem superant, deoq; appropinquant: qui ubiq; totus est, nullibi diuisus, infinitæq; & sapientiæ & durationis: & a quo hæc potestas uniuersale bonum semper & absq; limitatione cognoscendi, cogitandiq;, atque etiam desiderandi, inest animæ. Ex qua consideratione proueniet recta quædam estimatio sui, rectusq;, & sanctus amor. Cum enim omnia natura diligant semet ipsa, id hominem necesse est in seipso amare, quod se putat uerius esse. Qui ergo nihil supra corpus de se cogitant, amant corpoream hanc substantiam carnis: animam uero negligentes, quæ potior eorum pars est, uere se oderunt: quemadmodum dicitur in Psalmo: Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Atq; hoc est, quod (ut ante memini) sponsæ comminabatur deus: Egredere (inquiens) & abi post uestigia gregum. Etenim ad id trali uenire solet homo, ut totum se carnem putet, & partem sui, quam cū bestiis habet communem, tantum amet. Quod si plena fidē excellentiam animæ cogitemus, profecto eam longe digniorem corpore cognoscentes, uere amabimus, corpus ad eius solum famulatum diligentes. Sic ergo homo discit habitare apud semet ipsum: dum primum cogitare de animæ suæ nobilitate incipit: ac deinde ad superiora cogitandâ eleuatur: Sic scilicet apud se ratiocinans: si corpus hoc habet tot pulchra, decoraque sibi deseruentia, a quibus & accipit, quod sibi deest: atq; si totus hic uisibilis

Psal. 10.

sibilis

Ubilis mūdus est corpori domus, & habitatio: nonne animæ sua
 erunt pulchra, & sua bona ei proportionata, e quibus suam etiã
 ipsa perfectionem, ac suum ornatum habeat: nonne anima,
 quanto corpore præstantior est, habebit & bona, corporis bo-
 nis tanto præstantiora? Ea autem quid aliud esse possunt, quam
 uirtutes, quibus deo assimilamur, scientiaq; diuinorum? Quæ
 omnia ad spiritalem mundum ex angelis & uirtutum pulchri-
 tudine constantem pertinere intelligens, animo uoluit mun-
 dum illum, cuius cœlum est deus ipse, a quo illustratur terra,
 hoc est, animæ, & angeli: atq; eius mundi supercœlestis agno-
 scit animam incolam ac ciuem: hic uero extra eum, exulem esse,
 & corporis hospitio, immo potius carcere detentam. Quare
 iam nunc gemit, clamans: Educ de carcere animam meam: ac
 cum Petro Apostolo, aduenam & peregrinum se reputans, ab
 omnibus abstinet huius sæculi desiderijs: ne interim retarde-
 tur ab illa sua propria, beataque patria. Vide quanta femina,
 boniq; initia hæc attentior consideratio sui gignit in anima:
 quæ certe uberrimos fructus producent, si quis paulatim his se
 exerceat, Quod non incommode facere poterit, tum prædictæ
 diffinitionis, & loci illius ex Genesi desumpti continua recor-
 datione facta: tum etiam deuota iugique oratione profusa ad
 deum pro animæ suæ, suiq; cognitione. Ita ergo oret fidelis cum
 Psalte: Deduc me domine in uia tua: & ingrediar in ueritate
 tua: lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum: Hoc est: Da mi-
 hi in hac uia doctrinæ tuæ perseuerantiam, ut per eam ad ueri-
 tatem tuam considerandam intrem: ueritatem (inquam) spiri-
 talium, æternorumq; bonorum: quorum respectu umbræ fal-
 laces sunt corporea hæc omnia: atq; sic corde uero timebo cum
 læticia nomen tuum, creator optime, & pater omnium.

Psal. 142
 1. Pet. 2.

Psal. 85

Caput secundum de explicatione diffini-
 tionis Christiani,

R Cum

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

CVM de hominis dignitate satis haecenus dixerimus, progrediamur iam ad cogitandam dignitatem Christiani: quae tanta est, ut non minus distet infidelis homo a Christiano, quam ab homine bestiae ipsae. Nam quod natum est ex carne (ait ipse dominus) caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Ex homine autem nascimur carnes: ex deo uero per baptismum nascimur spirituales, & filii dei. De hoc namque ibi dominus loquebatur. Prius enim dixerat: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest uidere regnum dei. Christiani porro hoc est proprium uidere regnum dei: iuxta id, quod idem dominus dixit: Vobis datum est nosse mysterium regni dei, hoc est, cognoscere Christum uerum deum, & hominem.

Posuimus definitionem ueritatemque Christiani in hoc consistere, ut sit discipulus Christi. Quod aperte ex euangelio constat: ubi Christus suis discipulis ait: In hoc cognoscet omnes, quia discipuli mei estis, &c. Iustissime enim Christum dominum sequentes, ipsum in hoc saeculo doctorem magistrum appellabant. Itaque uos (ait Christus) uocatis me magister, & domine: & benedicitis. Unde & ipsi consequenti ratione uocabantur discipuli. Deinde uero crescente numero, atque ubique se propagante euangelio, cum scholae iam non caperent tantum fidelium numerum, ceperunt uocari Christiani: quod nomen Antiochiae primum illis impositum fuisse Lucas in libro actorum apostolorum testatur: cum ibi Paulo & Barnaba praedicantibus, magnus fuisset appositus domino numerus. Cum ergo quis credit doctrinae Christi, atque ueram illius cathedram, hoc est, ecclesiam, quae successiuo cursu consequuta est apostolos, agnoscit, Christianus est: quoadiu scilicet in hac schola tenet uel proprio actu, uel Sacramento baptismi.

Quod dicimus propter baptizatos pueros: quos beatus Augustinus & fideles esse & credere, ex ecclesiastica regula & auctoritate Christi affirmat. Quod si uel eam non fuerit ingressus: ut gentilis: uel ab ea exclusus: non est iam uere Christianus: sed uel ethnicus, uel schismaticus, & diuisor ecclesiae.

Hoc loco est religiose cogitandum, quot fuerint hominum

IOAN. 3.

LUC. 8.

IOAN. 13.

ACT. 11.

Lib. 1. de peccat. mer. & remiss. ca. 1.

sectæ, quot scholæ, quot errores, uarięque sententię: ut uix unus cū altero consenserit. Quo tempore magna certe fuit hominū cōfusio, atq; perplexitas, qua nō poterant discernere quę seque rent, magna obscuritas, & profundissimæ tenebræ: neq; ullus aut se, aut finem suum cognoscere ualebat. Præcipue tamen homines errabant in tribus, quæ maxime sunt necessaria. Primum enim, in quo sita esset uera fœlicitas & hominis beatitudo, quidue hominem beatū faceret plane ignorabant. Quod quo magis omnes quaesierunt, eo amplius a uero recesserunt, ac maioribus illud tenebris obscurarunt: iuxta illud Psal: errauerunt in solitudine: uiam ciuitatis habitaculi non inuenerunt. Hoc uero ignorato, quæ consolatio, quod gaudium esse poterat homini: qui uidens quotidie omnes mori & hinc abire, quo esset excipiendus loco nesciebat! Deinde etiā in cognitione principii, ueroq; eius cultu dissentientes, multo grauius errarunt. Nā multos & uarios deos nō solum finxerunt, & coluerunt: sed stupidissimi hōes etiā sibi ipsis fabricarūt: incōmunicabile nomen lignis & lapidibus imponentes: atq; (ut Paulus inquit) commutantes gloriā incorruptibilis dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, uolucrū, aut quadrupedum, aut serpentum. Ac deniq; in ipsa disciplina morū turpissime excecati, latis legibus, institutis politiis, diuersis que modis regendi excogitatis, quos abusus, quos brutales etiā errores, indignos plane relatu, permiserunt, & quidē statuerūt: Nunc igit cōsiderandū ignoratis his tribus rectę cognitionis & uitæ fundamētis, quæ nā sint, quę uel cognoscere uel docere possit homo: aut qd possit operari! Ac simul cogitādū est, tenebris illis horribilibus, quæ triduo fuerunt in Ægypto tantæ, ut nemo de loco suo fuerit morus,

Psal. 106

Sap. 14
Roma. 16

Exo. 10

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

lebatur. Tunc igitur ex alto dei clementissimus oculus cernēs,
 uidit errores hominum, & eorum misertus, decreuit se magi-
 strum efficere hominum, factus & ipse homo: ut non uerbo tan-
 tum, sed opere etiam ipso doceret homines, deum uerum co-
 gnoscere, gratis operibus eum colere, ab eo foelicitatem spera-
 re, a quo erant, & uitam instituere ad illius exemplū. Quare in
 eius aduentu clamabat propheta, *Habitantibus in regione um-
 bræ mortis lucem ortam esse.* Talem sequuntur Christiani ma-
 gistrum, deum ipsum, dei filium, dei sapientiam. Qua ergo se-
 curitate & laticia sequi hunc doctorem debemus. Expendat
 iam secum quilibet, & assiduo cogitet uerba illa domini: lux in
 mundum ueni: ut omnis, qui credit in me, in tenebris non ma-
 neat: & rursum illa: Qui sequitur me, non ambulat in tenebris,
 Quam igitur securus ingreditur uias mandatorū dei tali duce
 Christianus! Quā lætus uiuit! Quā certus morit̄, si Christi ue-
 stigia sequutus fuerit. Itaq; oculi tui (ait Esaias) uidebunt præ-
 ceptorem tuum, & aures tuæ audient uocem post tergum mo-
 nentis: hæc est uia: ambulate in ea. Quis autem sit hic præcep-
 tor, idem propheta alibi ostendit, de Christo ex patris persona
 dicens: Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præcepto-
 rem gentibus. Quod & in euangelio uoce propria dignatus est
 pater declarare: Hic est (inquiens) filius meus dilectus, in quo
 mihi complacui: ipsum audite. Hanc uocem credere debet
 quicumq; fidelis se audiuisse. Quamuis enim non illum corpo-
 reum sonum, qui de nube factus est, corporis auribus audie-
 rimus: spiritu tamen audiuius ipsius interioris inspirationis
 uoces. Atq; hæc religiose cogitans, desideret in dies magis tan-
 ti magistri dignum se discipulum exhibere: quod iugi oratione
 ab ipso petat, dicens cum Dauide: bonitatem, & disciplinam, &
 scientiam doce me: quia mandatis tuis credidi. Nam iam nunc
 me trado totum in tuam disciplinam. Hoc quidē omnes oportet
 facere: maxime tamen adolescentibus, cum incipiunt iam
 uias

uias huius uitæ ingredi, expedit assiduo & magno studio deum precari, ut ab eo dirigantur: quemadmodum orabat dignissimus ille Rex: uias tuas (inquiens) domine demonstra mihi, & Psal. 24. semitas tuas edoce me, Dirige me in ueritate tua, & doce me: quia tu es deus Saluator meus. Ac est hoc saluberrimum consilium: ut, cum tempus usus rationis homo attingere incipit, in illo quasi initio uitæ suæ lucisq; rationis & fidei, has primicias deo deuotus offerat, illi se in seruum, & in discipulum tradens. Ad quod puto pertinere posse uerba illa, quæ sapius in huius piissimi regis Psalmis inueniuntur: Audita mane misericordiam tuam: quoniam in te speraui. Notam fac mihi uiam, in qua ambulem: quoniam ad te leuaui animam meam. Quod singulis diebus erit optimum, ab omnibus dici: studiosius tamen ab iis, quibus totius uitæ mane illucescere incipit, est id petendum.

Caput tertium de ratione uel causa, quare simus Christiani.

HOc tam singulare bonum, quo plures habeamus, magisq; Iacob. 2: simus grati ei, a quo omne bonum perfectum, & datum optimum est: utq; ueram rationem illius cognoscentes, confirmemur amplius ac robaremur: Proponitur tertia quæstio: Quare sis Christianus: & unde id habeas: cui quæstioni respondentes, tria esse dicimus, quæ faciunt, ut simus Christiani. Quorum primum est dei gratia. Secundum, Sacramentum Baptismi. Tertium, uoluntas nostra. Si enim aliquid horum deesset adultis iam, & ratione utentibus, non essent de Christi familia. Nec uero solū in causa, quare simus Christiani, tria hæc concurrunt: uerum & eo ipso ordine, quo hic posita sunt. Quare procul reiiciendus est error Pelagianorum: qui dicebant, quamuis propositio cognitioq; credendorum esset a deo, assensum tamē,

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

& fidei principiū esse quidē a nobis, cōsumationē uero a deo: qui iuxta bonā nostrā dispositionē atque conatū, uel præcedentia merita largiretur fidei nostræ perfectionē. Quæ si uera essent, multū sibi deberet homo, & parū deo. Quem errorē cōdemnat *Ephē. 2.* Paulus, qui de fide ad Ephesios scribēs: Gratia (inquit) saluati estis per fidē, nō ex uobis. Dei, n. donū est. Non ex operibus: ne quis gloriē. Nullo ergo in nobis merito, nulla dispositiōe in nobis præcedēte, deus pro sola sua bona uolūtate elegit nos, decreuitq; ut essemus Christiani: idque uis, quib; ipsi placuit, impleuit. Donū. n. eius fuit, quod ex fidelibus parentib; nasceremur, & nati baptizaremur. Sine Baptismo autē nihil aliud essemus, quā hōes, iræq; filii: sicuti clamat Christus in euāgelio: Oportet uos nasci denuo. Et hæc quidē ante usum rationis sufficiunt. Iā uero cū ad eū peruenimus, fides uoluntaria necessaria est: sine qua nec Baptismus ipse adultis sufficeret: iuxta illud: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Porro ante rationis usum nobis fides ecclesiæ accōmodat modo quodā: sed post rationis usum nostra necessaria est. Est autē magna animi attentione cogitandū, unde sit in nobis hæc fides: aut quomodo factū sit, ut tā ardua, difficiliaq; credamus, ac nobis sint ita persuassa, ut parati simus nulla ratiōe, quantumuis nobis apparenti, nullaq; *Gal. 1.* autoritate cuiusquā ab iis discedere: quod & dicebat Paulus: licet (inquiēs) nos aut angelus de cœlo euangelizet uobis, præterq; quod euangelizauimus uobis, anathema sit. Certe non aliunde hoc factum est, quā a spiritu ipso Christi: qui in cordibus nostris persuasione efficit, & uoluntati nostræ efficacissime persuasit: quē Paulus uocat spiritū fidei: habentes autē (inquiens) eundē spiritū fidei, sicut scriptū est: Credidi ppter quod locutus sum: & nos credimus: ppter quod & loquimur. Id autē ita nos confiteri oportet, ut nō aliter credamus dei specialē operationem adesse animis nr̄is, quādiu credimus: quā affuit, cum tenebras Abyssī spiritali præcepto luce producta deus illustrauit: *Gen. 1.* fiat (dicens) lux: & facta est lux, Est nanq; noster intellectus ex se

nō minus obscur⁹ ad supernaturalia capienda, quā Abyssus ipsa: cuius obscuritati non lux quæuis, sed ab ipso dei vultu emanās, atq; omnē superans naturā, est necessaria. Quod Paulus his uerbis aperte cōfitef: deus, qui dixit de tenebris lumē splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationē scientiæ claritatis dei in faciē Christi Iesu. Verū sunt rationes aliquæ: quibus ad credēdū trahi possum⁹. Ex quib⁹ fortiores, quā humana aliqua persuassiōe fieri possint, sunt illę: sanctitas patrū, miracula, sapientia, martyria tantorū patrū noui & ueteris testamenti, quos Paulus uocat testes huius ueritatis: habentes, inquit, impositā tantā nubem testiū, per patientiā curramus ad propositū nobis certamē. Et deniq; idē maxime confirmat ipsa conuersio totius mundi ab idolatria, cui ante mille, & sexcentos annos uniuersus orbis deditus erat, ad fidē Christi crucifixi: quam iā ante octingentos annos totā Asiā, Africā, & Europā suscepisse non ui armorū, aut pecuniæ alicuius ue temporalis boni respectu scimus. Cæterū nec hæc sufficerent, ut tam firme crederemus, nisi adesset dei spiritus: quamuis aliquantū possint nos ea mouere. Verū sic iam credimus, ut si illa omnia deessent, & tot⁹ ipse mundus aliud diceret, simus parati ab iis non discedere, clamatē cū samaritanis ad omnē humanā persuasiōnē: non propter tuā loquelā credimus. Ipsi, n. audiuimus & scimus, quia hic est uere Saluator mundi. Patet ergo ipsius dei nos testimonio uti: quod nō nos nostra industria nobis acquisisse, neq; hereditate accepisse a parentibus, certissimū est. Petro, n. dixit dñs: quod omnibus fidelibus dictū esse intelligi potest: Caro & sanguis non reuelauit tibi: sed pater meus, q̄ est in cœlis. Neq; hæc dico, quod deus aliquando parentum merita respiciens, filiis multa non largiatur: quemadmodū sæpe Moises deo proponit patrū merita: Memento (inquit) Abraam, Isaac, &c. Et deus etiam sæpe regibus Iudæ propter seruum suum Dauid pepercisse, commemoratur. Vnde uerba illa domini: Ego dominus uisitans iniqui-

2. Co. 4.

Heb. 12.

Ioan. 4.

Mat. 16

Exo. 32

3. Re. 11

4. Re. 19

Exod. 20

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

iniquitates patrum in filios, in tertiam & quartam generatio-
nem, & faciens misericordiã in millia iis, qui diligunt me, & cu-
stodiunt præcepta mea, Atq; ita uehementer confidimus, Prin-
cipes nobilissimi (quibus potissimum labor hic noster seruit)
auorum uestrorum fidem sinceram pietatemq; in deum, qui-
bus pro illius nominis illustratione, & Barbarorũ ad fidẽ Chri-
sti conuersione gloriosos labores subierunt, maxime uobis pro-
futuras ad sceleriter dei & populi sui negocia gerenda, glo-
riamq; immortalem apud deum, & homines habendam: atq;
hanc ipsam hæreditariam gloriam uestris gestis & laudibus au-
ctam, ad uestros minores multis post sæculis transmittendam,
Verum non hæc merita talia sunt, ut sufficiant ad fidem ge-
nerandam in nobis, Caro enim & sanguis non hoc reuelat; sed
gratis hoc donum infundit deus animis. Totus ergo gratitudi-
ne, & humilitate repletus Christianus, ad se refferat illud, quod

Deut. 9. olim populo Israel deus dixit: Non dicas (inquiens) in corde
tuo: propter iusticiam meam introduxit me dominus, ut terrã
hanc possiderem, &c. Ac quibusdam ad hanc sententiam per-
tinentibus interiectis, ita concludit: Scito ergo, quod nõ prop-
ter iusticiam tuam dominus deus tuus dederit tibi terram
hanc optimam in possessionem: cum duræ ceruicis sis populus.
Sic igitur nos de fide dicamus, quæ uere terra optima, & præcla-
ra hæreditas est: non propter iusticiam nostram in eam nos do-
minus induxit: cum nullã iusticia præcesserit. Quare omni ani-
mi pietate ipsam, quam pro nobis Christus dominus spiritu
exultans patri exhibet, confessionem laudis deo offeramus, di-

Mat. 22. centes etiam cum exultatione spiritus in deo: Confiteor tibi pa-
ter, domine coeli & terre, quia abscondisti hæc a sapientibus, &
prudentibus, & reuelasti ea mihi paruulo uirtute & sapientia,
bonisq; omnibus infimo. Ita Pater: quoniam sic fuit placitum
ante te. Neq; enim est alia ratio, neq; alia nostra merita præces-

Phil. 2. serunt: sed quia sic placitum est ante te, Deus, n. est, qui dat uel-
le, & proficere pro bona uoluntate, Caput

Caput quartum de tribus, in quibus uniuersa Christi doctrina ueluti in summa continetur.

CVræ fuit patribus, antiquioribusq; doctoribus, ut magnitudinem sacræ scripturæ, quæ uere immensa est, ad certa aliqua capita, quam breuissime fieri posset, redigerent. Est enim omnibus necessarius cibus hic doctrinæ salutaris, ac debet per doctores captui paruulorum accomodari: quod & Paulus se fecisse ita commemorat: tanquam paruulis lac, potum dedi uocis, non escam. Quare prima eorū sollicitudo fuit, tam multa ad pauca quædā reducere: quo possent teneri ab omnibus. Et quidem Christus dñs hoc significans: quæcunq; (inquit) uultis, ut uobis faciant homines, uos eadem facite illis. Hoc est enim uniuersa lex, & prophetæ. Et Paulus: uolo (ait) in ecclesia quinque uerba loqui sensu meo, ut alios instruā, quam decem millia uerborum in lingua. Quo exemplo omnes instrui uoluit, ut se sui adaptarent infirmorum. Vnde beatus August. in libro de doctrina Christiana ad pauca quædam primum uniuersam Theologiam reuocauit: & tamen omnia deinde dicit in charitate dei, & proximi contineri. Quod Paulus aperte testatur, illis uerbis: Qui diligit proximū, legē impleuit. Nos igitur consulentes utilitati eorum, qui non possunt multa legere, beatū Thomam, doctorem doctissimum & sanctissimum sequentes, reducimus Christi doctrinam ad tria hæc capita, de fide, spe, & charitate: quoniam scilicet tres eę uirtutes sunt omnibus ad salutem & necessariæ, & sufficientes: ita docente Paulo: Manēt nunc tria hæc: fides, spes, & charitas. Sufficiens ergo doctrina, atque omnibus necessaria existimanda est: in qua ea tria traduntur: quod & Paulus aperte confirmat: Finis (inquiens) præcepti est charitas de corde puro, conscientia bona, fide nō ficta. In quo loco quamuis de præceptis tantum Paulus loquatur: satis tamen innuit, omnia quæ sunt in sacra scriptura, ad hæc referri: primum, ut fides uera habeatur de deo, nec fingamus,

L quod

1. Cor. 3

Mat. 7.

1. Co. 14

Augu. h.
de doct.
Christ.

Rom. 13

1. Co. 13

1. Tim. 1

INSTITVTIONIS CHRISTIANÆ

Mat. 15

quod in eo non est. Nec enim amari potest non cognitus. Deinde, ut firma spes per bonam conscientiam habeatur. Nam anima peccatorum, offensæq; diuinæ maiestatis sibi conscia sperare non potest. Sine spe uero non potest deus amari uera charitate, tanquam scilicet amicus: ad cuius bona propria participanda sumus admissi. Quod uerus charitatis affectus habet. Et postremo, ut cor emundetur ab illicitis actibus. Quæ enim coinquinant hominem (ut scribitur in euangelio) sunt homicidia, furta, falsa testimonia, &c. Vides ergo his tribus, quæ ex uerbis Pauli explicuimus, contineri salutarem doctrinam. Quæ quidem eodem etiam ordine Christi discipulus curabit discere, fidem suâ instruens symbolo, spem dominica oratione, & charitatem præceptis diuinis: quibus, ut oportet, instructo, nihil deesse uidetur, quod ad humilem, paratumq; seruû dei pertineat. Quod sane libet nûc explicatius ostendere analogia: liberi hominis: qui se in famulum traditurus est alicui dño. Tales, n. nos deus fecit: & sic uult, ut uoluntarie nos illi tradamus. Primum igitur homo hic, si prudens sit, curabit cognoscere, qualis sit ille dñs, diues ne, an potens, an in seruos suos magnificus. Quo cognito, si displiceat talis dominus, recedet, nihil præterea requirens. Quis enim domino inopi & impotenti, neq; suorum memoriam & curam habenti adhæreat? si uero talem eum intellexerit, ut honestum sibi iudicet, illi se famulum dedere: rursus uult scire, quid promittat hic dominus seruis: et quid possit ab eo expectare. Quæ si digna liberaliaq; uideantur: tum demum quæ nam opera sibi imponenda sint, inquiret: quæ quidē, si domini amore, & spe præmii teneatur, curat omni diligentia exequi. Sic deus uelle oēs secû agere aperte ostendit: qui cum possit nos coactos etiâ sibi subiicere: permittit tamē nostræ uoluntari, an illius esse uelimus. Quomodo cû populo Istaël loquebat̃ Iosue: Nunc ergo (dicens) timete dñm, & seruite ei corde pfecto, atq; uerissimo: & auferte deos, quibus seruierunt patres uestri in Mesopotamia: ac seruite dño, Sin autem malû uobis ui

detur, ut dño seruiatis : optio uobis datur. Eligite hodie, quod
 placeat, cui seruire potissimū debeatis, &c. Hoc cogitet sibi qui-
 libet nostrū a deo, atq; Christo dici: deque bonitatē in hoc etiā
 admiretur, quod dñs altissimus, qui bonorū nostrorū non eget,
 nos minimos, contemptibiles & humi prostratos respiciat, cu-
 retq; nos in suos recipere: ac deniq; id optioni nostræ relinqēs,
 uelit, ut deliberemus, an sit nobis expediens illi adherere. Ex-
 pendamus itē, quanto dominus aliquis est potentior, nobilior,
 & liberalior in seruos, tanto plures esse, qui uelint ei seruire, &
 qui se ingerant, atq; adeo extorqueant inter famulos illius
 connumerari. Iam uero fides qualem nobis ostendit deum: non
 ne altissimum, infinitæ sapientiæ & potentia, in suos liberalē,
 & gratum, pium, nec offensarum memorem, qui proprium fi-
 lium pro seruorum salute morti exposuit: ut præteream cetera,
 quæ fides de deo nobis firmissimè persuasit. Vide igitur an
 deo seruire sit bonū maximū, quo nullum maius, immo cui nul-
 lum æquale esse possit: Rursus analogiam propositam sequen-
 tibus manifestū est, maiora præmia promittentē, & plura præ-
 stantē bona, plures solere habere, qui uelint illius obsequiis in-
 seruire. Confer ergo nunc, quæ hōes promittūt, & dāt sibi obse-
 quentibus, cū iis, quæ deus promittit in euangelio, & quæ con-
 tulit suis. Honores enim quosdam tenues aut perituras diui-
 tias illi dare aliquando solent: deus uero suis æternā uitam, suā
 ipsius gloriā, & se ipsum donat. Quare beatus (ait Christus) ille
 seruus, quem, cū uenerit dominus, inuenerit sic facientē. Amen
 dico uobis: super omnia bona sua constituet eum. Et sane quæ
 nec oculus uidere, nec cor hōis cogitare ualet, sunt quæ deus
 suis loco præmii largitur. Quanto igitur libentius, & alacrius
 tanto dño, ac tanta præmia largienti seruiendum est. Quamuis
 in, non debeamus mercenarii esse, & amanti sit uelle deo sine
 præmio seruire, qui propter seipsum dignissimus est omnī ob-
 sequiis: sanctū tamen est, cor nostrum tanti præmii considera-
 tione attollere accendereq; in dei obsequium, atq; cum Dauide

Mat. 24.

1. Cor. 2

Ps. 118

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

piissimo dicere: Inclinaui cor meum ad faciendas iustificatio-
 nes tuas in æternum propter retributionem. Postremo neq̄ mi-
 noris utilitatis erit cogitare illa: age, esto, sit dominus diues,
 bonus, & talis, qui omnibus placeat: sint premia proposita ma-
 gna. Verum si grauias, atq̄ importabilia imponat, uix inueniet,
 qui ei seruire uelit. Nam dominus quanto leuiora suis præci-
 pit: tanto libentius & plures ei in seruire cupiunt. Quæ autem
 deus præcipit, & imponit nobis, qui uis uidere potest quam sint
 leuissima, quam pauca, & quam adimpletu facilia: ut non occi-
 des: non furtum facies, &c. Et quidem sunt ea, quæ natura ip-
 sa per se amplectitur. Quod si qua altiora præcipiat: ut ei cre-
 dere, uelle aduersa pati & mori pro eo, cum opus fuerit, & simi-
 lia: ipse uires, roburq̄ ad ea implenda ita largitur, ac sic ea tem-
 perat, ut sint homini, non modo non difficilia, uerum & dulcis-
 sima. Merito itaq̄ inquit, iugum meum suaue est: & onus meum
 leue: & rursus: Inuenietis requiem animabus uestris. His dili-
 genter cogitatis, optioni illi propositæ, an deo uelimus seruire,
 respondeamus iam cum populo Israel: Absit a nobis, ut relin-
 quamus dominum deum nostrum, & seruiamus diis alienis.
 Dominus deus noster ipse eduxit nos, & patres nostros de ter-
 ra Ægypti, & de domo seruitutis, & custodiuit nos in omni uia,
 per quam ambulauimus. Seruiemus igitur domino: quia ipse
 est dominus deus noster. Quæ sane multo uerius Christiani
 quam Israel dicere possumus. Eduxit namq̄ nos deus ab idolo-
 rum cultu, & a seruitute diaboli ac peccati eripuit, &c. Et ueris-
 sime ipse est solus dñs deus noster. Seruiemus igitur illi. Atq̄
 est etiam nunc eadem animi pietate considerandum, quid ibi
 populo hæc respondenti Iosue dixerit dictante ipso dei spiritu:
 Non poteritis (inquiens) seruire domino. Dominus enim san-
 ctus, & fortis amulator est: nec ignoscet sceleribus uestris, atq̄
 peccatis. In quibus dei admiranda bonitas perspicitur: qui, cū
 præcepta eius grauias non sint, pietas uero illius immensa, ta-
 men

Mat. 11.

Iosu. 24.

men.

men quodam modo se durum, & grauem dominum fingit: neque qualis ipse in se est, neque qualia sunt eius præcepta in seipsis: sed qualia nobis peruersis, ac malis uidentur, ita ea proponit: Non poteritis (dicens) seruire domino, &c. Itaque & id, quod in quodam Psalmo scribitur, potest etiam hic dici: Nunquid adhæret tibi *Psal. 93.* sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto? quasi dicat: nunquid tu malus es? nunquid durus? nunquid delectaris perditione nostri? nunquid occasionem eius quæris, ardua & quæ supra uires nostras sunt, præcipiens? absint omnia hæc a tanta, tamque immensa bonitate, & suauitate tua. Immo uero cum sis dominus optimus & clementissimus, simulas duriora te præcipere, & seuerum te ostendis, non certe aliam ob causam, quàm ut nos ista tua (ut sic loquamur) comitate & ciuilitate uicti, alacrius seruiamus, promptioresque nos tibi offeramus. Cæterum est etiam durus deus, & in ratione exigenda exquisitissimus: sed in desperantes iam, & proteruos: quibus omnia diuina grauiasunt: quique dixerunt domino: Recede a nobis, Scientiam uiarum tuarum nolumus. *Iob. 22.* Quis est omnipotens, ut seruiamus ei? Omnibus ergo his ita consideratis, dicenti nobis: Non poteritis seruire domino: respõdeamus illud, quod & populus Israel respondit: Nequaquam ita erit: Non erunt nobis, o deus, grauias mandata tua, gratia tua nos iuuante: ac si quando nobis uisa fuerint duriora, id ex nostra existere duricia confitemur. Nequaquam igitur ita erit: sed domino deo nostro seruiemus. Quam quidem cordis præparationem deus tanti facit, ut illam sine magno præmio non dimittat. His satis puto tria illa, in quibus collocauimus Christianæ disciplinæ summam, facta esse aperta: satisque ex eis constare, quam sit dignum, nos de his tam necessariis religionis nostræ documentis admonitos esse, & ad obsequium cultumque dei spontaneos ac promptissimos currere, magno animi affectu cum Salomone semper sic orantes deum: *Sap. 9.*
Da mihi sedium tuarum assiltricem sapientiam, & noli me re-

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

probare a pueris tuis ; quoniam seruus tuus ego sum, & filius ancillæ tuæ, hoc est ecclesiæ: cuius iam doctrinæ uberibus nutrior. Da ut in uirum perfectum euadam. Sic ergo primum illud caput, quod quasi fundamentū, ianuaq; sequentis doctrinæ est, declarauimus. Nunc superest de fide, ut instituimus, explicare communem, omnibusq; salutarem doctrinam.



72

LIBER TERTIVS

DE SYMBOLO APOSTOLORVM

& de articulis fidei.

Caput primum de primo uerbo, Credo.



Ecundum caput, in quo de fide loquuti sumus
ius ordinis postulat, ut proposuimus, explica-
tius etiam tradere. Primū itaq; ab ipso actu fi-
dei incipiendum: qui & in principio symboli
ponitur, cum dicitur: Credo in unum deum,
Nam cum, credo, dicit pius homo & Catho-
licus, non leuiter, ac ueluti ad alia properans,

id pertranseat, nec tam modicæ uirtutis putet hoc uerbum,
quam est quantitatis, Breuissima .n. uox est Credo: sed in com-
parabilis, & supra homines uires, ac prorsum diuinæ efficacix.
Hoc testatur abunde Apostolus Paulus: sine fide (scribens) im- Heb. 11
possibile est placere deo. Immo nec placere solū deo sine fide im-
possibile dicit: sed uel tantillum deo appropinquare: Acceden-
tem (inquiens) ad deum, oportet credere. Quasi diceret: frustra
rationibus innixi Philosophi, deum queritis: frustra dispu-
tatis, & hoc disquiritis. Nā, ut idē Paulus alibi ait: quia in dei sa- 1. Cor. 13
pientia non cognouit mundus per sapientiam deum: placuit
deo per stulticiam prædicationis saluos facere credentes. Cre-
dite igitur, & intelligetis. Quo enim magis putatis uos deum
tenere sine fide, eo longius estis ab illo. Primus enim ad deū ap-
propinquandi gradus, fides est. Quo in loco illud dei consiliū,
quo ab hominibus exigere fidem, & eā illis cōmunicare placuit,
attentius iam nobis tractandum est: nō ductis scilicet curiosita-
te aliqua, aut arroganti animi elatione, sed animo solum diuina
nobis.

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

nobis ipsis admirabiliora, gratioraq; reddendi. Voluit itaq; im-
 mensa dei sapientia conuenienti ordine intellectum nostrum,
 cognitionemq; primum dirigere, atque sanare. Nam necesse est
 omnem uel amorem, uel operationē a cognitione procedere.
 Neq; consequēti ratione deus ipse amari potest, aut ex eius amo-
 re aliquid fieri a nobis, nisi prius intellectus noster ipsum cogno-
 uerit. Dei uero cognitionem nihil magis impedit, quam intel-
 lectus nostri superbia, & arrogantia. Quo enim curiosius, &
 confidentius queritur deus, eo magis se abscondit a nobis. *Vn-*
de accedet (inquit Psal) homo ad cor altrū, & exaltabitur deus.
 Hanc ergo superbiam, & elationem intellectus nostri uoluit
 deus primum fide deiicere: cum multa nobis ostendit, captum
 nostrum superantia: quo scilicet aperte conuincamur, superē
 murq; cognita dei immēsitate: & cogamur fateri cū Hieremia,
Iob, 6 3. ipsum esse incompræhensibilem cogitatu: & cum *Iob*, esse
 deum magnum, scientiam nostram uincētem. Quare ad eum
 cognoscendum nihil nostris uiribus, aut nostræ sciētiæ fida-
 mus: sed, uelut insipientes, & paruuli expectemus eius de seip-
 so doctrinam: qui solus potest ueram plenamq; sui cognitio-
 nem habere: & a quo multo magis distant perfectissimi ange-
 lorum intellectus, quam infimi discipuli & insipientis a sapien-
 tissimi alicuius magistri intellectu. Quamobrem cum tam alta
 per fidem de eo proponuntur, debemus non aliter quam olim
Exo. 3. propheta, humi prosterni, neq; audere cum Moise aspicere
 ad deum, sed clamare, ut intellectum nostrum ipse corrobore-
 ret, ac illuminet: dicentes cum Dauid: Tibi dixit cor me-
Psal, 26. um: exquisiuit te facies mea: uultum tuum domine requi-
 ram. Sic autem humiliato intellectu nostro per fidem, inci-
 pit deus eum attollere, atque quæ ipsi sunt propria, quæq; solus
 ipse nouit ostendere, & ad ipsa cordis diuini secreta introduce-
Ioan, 1 5. re, tanta & talia reuelans, ut uerissime Christus dicat: Omnia
 quæcunq; audiui a patre meo, nota feci uobis. Qua familiarita-

te, & insignis amiciciae signo, quasi pignore quodam dato, certos nos facit aeternae beatitudinis: atque ad eam totis uiribus desiderandam inuitat. Quomodo enim de deo tam noua & tam inaudita certo credens non anhelet, & totis conatibus ad ea uisenda non contendat? quis non clamet: Quando ueniam, & apparebo ante faciem dei? quando tam mira, & tam sublimia contemplanor? quis uero non uehementer speret admittendum se ad dei apertam uisionem: cui etiam in hoc exilio, atque carcere diuina secreta cognoscere sit datum? hoc sane modo diuina bonitas, summa sua misericordia tenebras intellectus nostri ab his infimis, caducisque ad se trahit. Ac poterant certe homines de deo aliqua attingere intellectu, ex uisibilibus his inuisibilia uestigantes, ut scribit Paulus. Sed ea cognitio tam erat tenuis, & tot admixta erroribus, ut de iis, qui multa putarunt se de deo cognouisse, merito idem Paulus dicat: Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt: & euanuerunt in cogitationibus suis: & obscuratum est insipiens cor eorum. Fides uero quanta securitate, & certitudine nobis ostendit, non ea solum, quae naturali lumine cognosci poterant, sed ea etiam, quae angelorum captum superant, solum ipsi deo cognita?

¶ Ergo cum dicimus Credo, ut ea constantia & merito, quibus oportet id dicamus, cogitandum in primis, quanta sit humani intellectus obscuritas, & ignorantia: quaeque pauca sint, quae attingimus, etiam eorum, quae minima, & quae quotidie ante pedes sunt: ac denique quomodo nec nos ipsos, nec opera, nec cogitationes nostras perfecte cognoscamus. Si ergo (ut Sapientis uerbis utar) difficile aestimamus, quae super terram sunt: & quae in prospectu nostro sunt, inuenimus cum labore: quae in caelis sunt, quis inuestigabit? quis poterit deum scire, seipsum nesciens? quid uero aliud est sine dei cognitione uita nostra, quam perpetuus quidem error, & euagatio uana? Quare humillime orandus est nobis deus, ut emittat lucem suam, & ue-

M ritatem

Sap. 9.

Psal. 42.

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

ritatem suam. Cum autem hac cogitatione satis coram deo se mens deiecerit, conuertat tunc oculos ad uniuersam orbis terrarum ecclesiam, ad sanctorum omnium congregationem, & præcedentium patrum chorum, ab Abraam, Moyse, Dauide, Esaia, & Helia progressa usq; ad Ioannem Baptistam, apostolos, martyres, & cæteros omnes utriusq; sexus fideles: qui a principio mundi, deo cordibus eorum inspirante, in hac doctrina, & reuelationibus diuinis, in quibus & nos, permanserunt: Quorum alii magna sapientia humana, potentia, atque diuitiis secularibus clari: alii his omnibus contemptis propter deum, uitæ sanctitate splendidi in hac fide & uixerunt, & mortui sunt. Consideret deinde etiam eos, quos Paulus commemorat, incipiens a primo illo iusto Abel, atque insignes omnes patres nominans. Ac insignia eorum fidei opera attente meditetur: De quibus Paulus: per fidem (inquit) uicerunt regna, operati sunt iusticiam, obturauerunt ora leonum, &c. Et tamen (quod multo mirabilius est) lapidati sunt, ut idem Paulus testatur, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, circumierunt in melioris, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti. His ergo omnibus seipsum coniungens fidelis, magna cum animi exultatione atq; læticia, quasi in medio eorū consistens, in hac ecclesia magna, ut Dauid ait, laudans dicat: Credo: hoc est, omni humana scientia abiecta, soli deo credens, ac ecclesiæ catholicæ magisterio, societatiq; adhærens, cuncta, quæ illa credit & tenet, Credo: Persuassumq; & certum habeo illa uera, pura, ac nulli falsitati admixta esse. Sic (inquam) hæc teneo, ut quamuis uniuersus mundus aliter assereret, neq; si angeli de cælo aliter dicerent, & quidem mihi ipsi aliter uideretur: paratus sum tamen ab iis non discedere, cupiens eam mihi fortitudinem, & constantiam dari a deo, qua nulli labori cedam, & qua nec ipsam mortem subire recusem pro iis, quæ non humana inuenta, sed diuina esse dogmata, certus sum. Corde itaq; hæc Credo,

& ORC

Heb. 11

Psal. 21.

& ore confiteor: precans deum, ut iuxta Apostoli uerbum, sit Rom. 10
 mihi hæc fides ad iusticiam, & confessio ad salutem. Narraue Psa. 118
 runt porro fabulationes Poetæ: Philosophi attulerūt suas ratio
 cinationes: hæretici scismata, & dissensiones seminare non ces
 sant. Sed nihil omnino domine ad legem tuam, neq; ad eam do
 ctrinam: quam solam in hac ecclesia, quæ Apostolis, eorumq;
 successoribus adhæret, & quæ Petri uicariatum agnoscit, se
 quentiumq; ipsum in sede Romana potestatem ueneratur, esse
 Credo: cum Athanasio, Cypriano, Concilio Niceno trecento
 rum & decem & octo patrum, cum Hilario, Didimo, Hierony
 mo, Concilioque Constantinopolitano, cum Cirillo, Basilio, &
 deniq; cū omnibus patribus, qui in hac uisibili ecclesia, & Cathe
 dræ Petri consensu uixerunt, uiuere & mori cupiens: ceteros ue
 ro oēs synagogā Sathanæ esse existimans. Neq; uero parui esti
 met hæc fidē catholicus, nec cōtemnat hoc opus dei in se: quod
 tanti a deo fit, ut sic credentem, & in filiū recipiat, & ad uitam di
 uinā, & ad iusticiā corā ipso eleuet. Nam scriptum est: Credidit Gen. 15.
 Abraam deo, & reputatū est illi ad iusticiā: & iterum: iustus au
 tem meus ex fide uiuit: & rursus: dedit eis potestatem filios dei Abac. 26
 fieri, iis, qui credunt in nomine eius. Neq; hæc dico, quod hæc Rom. 16
 sola fides sufficiat: sed quod sine ea cætera non sufficiant. Vere
 enim sine fide, nec charitas, nec ulla alia uirtus, aut iusticia po
 test apud deum esse, aut inueniri. Qui nanq; sine fide iustificari Rom. 4
 se putat, habet gloriam: sed non apud deum. Habet autem fides
 in salutis nostræ negocio priores partes, & principium: uerum
 sine charitate Paulus nos nihil esse testatur: & si habuero (in
 1. Co. 13.
 quiens) omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatē au
 tem non habeam, nihil sum, Iacobus etiā ratione apertissima, &
 exemplo probat fidē, quæ opera non habet, mortuā esse: Si au
 tem (scribens) frater, aut soror nudi sunt, & indigeāt uictu quo
 tidiano, dicat autem aliquis ex uobis, illis: Ite in pace, calefacimi
 ni, & saturamini: non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt
 Iacob. 2.

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE.

corpori, quid proderit? Sic & fides, si non habeat opera, mortua
 est in semetipsa. Vides quam apto exemplo fidem non suffice-
 re ostendit: aperte docens, fide quidem sine opere, nos uerba
 tantum posse præstare, confiteriq; nos nosse deum: uerum uer-
 ba illa, cum desunt opera, non magis prodesse, quam illa quæ
 indigentibus dicuntur: saturamini, &c. Ex quo aperte intelligis,
 utrunq; apostolum dicere, fidē esse posse sine charitate, & operi-
 bus. Quod ualde consonū est euangelio, manifesta rationi, &
 experientia: qua uidemus trahi sæpe hominem & fragilitate &
 cōcupiscētia ad ea, quæ firma fide tenet, & intelligit certo noxia
 esse: preualēte nimirū affectu atq; ita obscurante rationis acie,
 ut uel non consideret ea, quæ fides dicat: uel certe non satis at-
 tente: sed, tanquam homo somno aut ebrietate pressus, recor-
 detur illorum: & tamen tunc etiam firmissima fide remissionem
 peccatorum credit: quam ex diuina misericordia sperans, ali-
 quando labitur humana fragilitas. Vnde scribitur in euange-
 lio: Seruus qui cognouit uoluntatem domini sui, & non se præ-
 parauit, & non fecit secundum uoluntatem eius, uapulabit mul-
 tis. Itaq; uera fides esse potest sine charitate, & operibus: sed mor-
 tua ea est: quia quamuis tunc etiam dei opus in nobis sit: no-
 stra tamen culpa id non reddit nos deo gratos. Cæterum fides
 ad charitatē consequendam ualde est commoda, uideturq; eius
 esse ueluti principium, & fons. Nam quem non moueat ad di-
 ligendum deum toto corde, totisq; uiribus, credere nos ab ipso
 ex nihilo creatos ad imaginem suam: certosq; nos esse, pro no-
 bis etiam inimicis & peccatoribus deum filio proprio non pe-
 percisse? Percurre deinde animo cætera, quæ fides de deo præ-
 dicat: Ac uide an non sint ea efficacissima ad charitatem exci-
 tandam. Etenim sunt uerba & opera dei quæ credimus, sine du-
 bio ignita: fides uero fortis ac certa, ferrum est: quo illa percusa
 quodam modo, atq; frequentibus ictibus concussa, mirum
 est, si non accedant in animis nostris ignem illum: quem Chri-
 stus.

LUC. 8. 2.

flus uenit in terram mittere. Vnde in meditatione mea (inquit *Luc. 126.*
 Propheta) exardescet ignis. Quare fides merito dicitur chari- *Pfal. 386.*
 tatem gignere. Verum ea est cordis humani procliuuitas ad ma-
 lum, ea obscuritas, & obliuio: ut homo uel ab aliis seductus,
 uel propria etiam malicia obduratus, hæc non curet, agatq; con-
 tra fidem. Quamobrem merito Apostolus uerbis illis: Iustus au- *Heb. 10.*
 tem meus ex fide uiuet: ex propheta citatis in epistola ad He-
 breos, mox addit: quod si subtraxerit se, non placebit animæ
 meæ. Subtrahit enim se, & quodam modo uim fidei eludit, qui
 aliis implicatus, quæ credit, non amat: obicem certe ponens fi-
 dei ipsi; ob quem in eo mortua, atque sterilis manet. Dei enim
 illa operatio, quæ intellectum ad credendum illuminat, eo ten-
 dit, ut etiam uoluntatem afficiat: Quod si uoluntas se subtra-
 hat, atq; effugiat, sibi imputet, non deo: qui adeo bonus est, ut
 propter uoluntatis obicem, & impedimentum, intellectui se nō
 subtrahat, neq; omnino deserat hominem. Atq; utinam illud,
 quod statim Paulus adiungit, de nobis dici possit: Nos autem
 non sumus subtractionis filii in perditionem: sed fidei in acqui-
 sitionem animæ. Hoc autem loco, pie lector duo extrema noue
 doctrinæ sunt tibi diligenter uitanda: alterum, quo contendit-
 tur solam fidem ad iusticiam sufficere, contra illud prædictum
 Pauli testimonium: si habuero omnem fidem, &c: alterū uero,
 quod ad primum defendendum superbia hæreticorum ad in-
 uenit, non esse scilicet fidem, quæ non habeat coniunctam cha-
 ritatem, fidemq; ex natura sua charitatem sibi coniungere: quod
 aperte est contra idem testimonium Apostoli, & contra catho-
 licam doctrinam patrum: ut alias latius demonstrabimus. Hoc
 igitur in primis pio obseruandum est, ut curet fidem diligenter
 & corde, & lingua confiteri, symbolum fidei magna animi at-
 tentione ruminans: quod præsertim diei initio, cum primum
 ad corpoream hanc lucem oculos uerterit, libentius & cum
 maiori affectu faciat, ad lumē hoc fidei, solē certe clarius cordis:

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

Luc. 17.

Psa. 118

Psa. 118

Psal. 12.

Mat. 9.

aciem dirigenz: ac ualde sperans affuturum deum huic suæ pietati, dicat credo: clametq; ad dominum: Domine adauge mihi fidem: uiuifica me: & custodiam sermones tuos. Nocte etiam, cum obscurari uiderit solis lumen, lucernâ fidei accendens, clamet: Lucerna pedibus meis, uerbum tuum. Illumina oculos meos: ne unquam obdormiam in morte. Deniq; omni tempore nihil salubrius est, quam fidei recordatio, eamque confiteri, & dicere: Credo domine: adiua incredulitatem meam.

Secundum caput de iis, quæ in generali sunt credenda.

IAm nunc ad id, quod credendum est, accedamus. Vbi in responsione primæ interrogationis triplicem ordinem posuimus credendorum. In quibus primus ordo est eorum, quæ in scriptura sacra sunt tradita, & quæ ex illis aperte sequuntur. Secundus eorû, quæ ab Apostolis ecclesia recepit credenda: quam uis non fuerint scripta. Tertius est eorum, quæ ecclesia ex his duobus colligens, declarauit esse credenda. Quanquam autem circa horum singula non pauca sunt, de quibus non faciles quæstiones agitantur: non tamen ea sunt proponenda simplicibus, neq; iis, qui humilitate & pietate magis, quam eruditione ualent in ecclesia: & quorum profectui nostro hoc labore conamur aliquid conferre. Circa primum ergo ordinem credendorum, non curet fidelis, qui aliis docendis non est præfectus, discutere, qui libri pertineant ad sacram scripturam: & qui non: quod nunc hæretici imprimis uerterunt in controuersiam. Satis fuerit illi, credere eos libros catholicos, quos sanctorû Conciliorû, & patrum testimoniis constat catholicos esse habitos. Nam licet quidam sint, de quibus aliquando fuerit dubitatum, etiam a piis quibusdam doctõribus: præualuit tamen maior auctoritas plurium, & usus, ut reciperentur. Circa secundum uero ordinem, debet certum esse catholico, multa fuisse ab Apo-

stolis

stolis tradita ecclesiæ uerbo solum non scriptura: quemadmodum ^{2. Thc. 2}
 ipse Paulus testat: Itaque fratres (scribens) scite, & tenete traditio-
 nes quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram: &
 rursum: subtrahatis uos ab omni fratre inordinate ambulante, ^{2. Thc. 3}
 & non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis. Hoc autem
 & ipsa etiam experientia certissimum omnes uidemus. Nec enim om-
 nia, quæ ad gubernationem ecclesiæ, sacramentorum administrationem,
 graduum & ordinum distinctionem, necessaria erant, scrip-
 serunt Apostoli. Cum tamen suo tempore certum sit, illa fuisse
 in ecclesia. Quare necesse est, ut uerbo solo sint tradita. Vnde
 Paulus ipse, cum ad Corinthios scribens in eum locum incidisset, ^{1. Co. 11}
 ut de usu Sacramenti Eucharistiæ quædam traderet, paucis
 dictis mox hæc subiunxit: Cætera, cum uenero, ipse disponam.
 Item cum ad Timotheum quædam scripsisset de episcopis, & ^{1. Tim. 3}
 diaconis: hæc (ait) tibi scribo, fili Timothee, sperans me ad te ue-
 nire cito. Si autem tardauero: ut scias, quomodo oporteat te con-
 uersari in domo dei. Quo loco significat pauca se ibi scripsisse:
 plura tamen, cum uenturus esset, se dicturum. Item ipse idem Pau-
 lus, cum pertransiret Syriam & Ciliam, confirmabat ecclesias, ^{Act. 15}
 præcipiens custodiri præcepta Apostolorum. Contra hoc uero
 infanissime huic temporis hæretici garriunt: & callidissime blan-
 dientes populo, qui semper ad licentiam est pronus, clamant ni-
 hil esse credendum, aut faciendum, quod non sit uerbo dei tradi-
 tum. Qui sane imperitissime loquuntur, uimque uocis, quam iac-
 titant, omnino ignorant. Putant enim, si omnia credenda, uerbo
 dei sint tradita: ideo statim sequi, fuisse scripta. Quasi uero sit idem
 uerbum dei, & scriptura sacra: aut quasi charta uel papyro sit indig-
 nius fidelium cor, cui deus eiusque apostoli plura quam scriptura com-
 mendent: aut denique quasi ecclesia ipsa Christi, firmata ab illo usque ad
 finem sæculi, minus sit tenax, quam membrana: ut uel deleri, uel tradi
 obliuioni debeant, quæ illi seruanda sunt tradita. Quæ omnia quæ sunt
 absurda, cuius apertum esse potest: ac maxime cum legem hæc gratiæ
 prophetam, ita etiam interpretante Paulo, promittat deus se cor-

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

Hier. 3. 12. *Heb.* 8. **dibus, non libris in scripturum : Dabo (inquiens) leges meas in mentem eorum, & in corde eorum super scribam eas. Constat ergo continua successione, & traditione maiorum, multa Dei uerba esse impressa ecclesiae: nec minus ea certa esse, quam quae scripturis quibuscumque expressa sunt. Plane igitur conuincitur non habere spiritum dei, neque Apostolorum sequi uestigia, qui non docet traditiones ecclesiae custodiendas esse. Quae nam autem sint illa uerba dei ecclesiae tradita, dicemus loco suo, cum ad particularia credenda de uenerimus. Nunc satis sit ostendisse, necessarium esse omni catholico ultra scripturam sacram credere multa ex traditione ecclesiae.**

Nunc iam ad tertium ordinem accedendum : in quo collocauimus ea, quae ecclesia declarauit credenda esse, ex scriptura & traditionibus colligens. Vbi diligenter omnes catholici in primis attendere debent, necessarium ualde fuisse, ut haberent fideles certam aliquam regulam, uisibilem, uiuam, presentemque: qua de documentis fidei, non semel, aut iterum, sed semper quoties egerent, uel dubitarent, efficerentur certiores. Quod apertis rationibus, & experientia ipsa notare oportet, propter haereticos: qui subterfugia, atque tenebras quarentes, quibus possint simpliciores facilius fallere, & sagittare (ut inquit Psalter) in obscuro rectos corde, uolunt non esse aliam regulam, quam scripturam, aut spiritus sancti interiorem illustrationem: quoniam scilicet has duas facile possunt, aut peruertere, aut certe obscurare. Constat autem in scriptura sacra, nobis deum mysteria sua, uiuendique normam tradidisse uerbis humanis, atque humano more. Sic enim suauissimus deus omnibus iuxta modum suum suauiter prouidet. Verba uero humana semper habuerunt sensus diuersos: ac semper potuerunt aut uno aut altero loco ad diuersa trahi, & aliis atque aliis modis declarari: Sicut, & in scriptis etiam ethnicorum, & in communi hominum sermone quotidie licet uidere. Quod maxime etiam solet effici malicia homi-

cia hominum: quæ si accedat, facile omnia torquet, & peruertit: ut uerum dixerit Salomon, omnes labores & industrias hominum patere calumniæ, & inuidiæ. Aliquando quoque nostra ignorantia aut tarditas, huius rei sunt causæ. Quibus omnibus malis tum intellectus hominis obnoxius est: tum etiam eius uerba. Quare non mirum, si scriptura quoque sacra huic diuersarum interpretationum uarietati, & ambiguitati subiaceat. Quod etiam, authore beato Augustino, deus uoluit & statuit, ut confunderet intellectus nostri fastidio, & torpori. Si enim omnia perspicua essent, facile fastidiretur, ac intellectus in iis, quo se exerceret, non inueniret, aut alia quæreret, aut omnino torperet. Quædam ergo aperte sunt posita in scriptura sacra: quibus recreemur, & reficiamur, aut lassii, aut infirmi. Vnde Iac (inquit Paulus) potum uobis dedi, non escam. Et alibi: qui infirmus est (ait) olus manducet. Alia uero obscure sunt scripta: quibus exerceamur, & quibus, quasi e tenebris eductis, dulcius fruamur. Panis enim absconditus suauior est. Itaque Paulus sapientiam loquimur (inquit) inter perfectos: sapientiam uero non huius sæculi, neque principum huius sæculi, qui destruuntur: sed loquimur dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est. Quare & Apostolus Petrus de ipsis Pauli scriptis loquens: in quibus (ait) quædam sunt difficilia intellectu. Item in Psal: Tenebrosa aqua in nubibus aeris esse dicitur, hoc est, obscura sapientia in prophetis, & apostolis. Atque id sane etiam ipsius scripturæ authori, maxime conuenit. Sic enim semper deus se se communicauit hominibus, ut superbos, & inflatos reiiceret, exturbaretque: humiles uero, & deiectos attolleret. Quamobrem ita quoque scripturam suam uoluit esse compositam, ut humiles, & pios instrueret: contentiosos, & de se confidentes, uacuos dimitteret. Vnde ait Christus: Abscondisti hæc a sapientibus, & reuelasti ea paruulis. Porro phrasin illam dei, & spiritus sancti idioma intelligunt filii, illisque optime instruuntur: adulteri uero,

Eccli. 9

Lib. 2. de
do, Chri.1. Cor. 3
Rom. 14Pro. 9.
1. Cor. 22. Pct. 3.
Psal. 17.

Mat. 11

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

- Esaï, 6.* & extranei excæcantur, iuxta illa uerba domini ad Esaïam: *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, ne forte intelligant, &c.* Quæ certe cæcitas non fit a scriptura: sed ea tamen lecta, sequitur: quod etiam ibi significatur. Atq; hoc quoq; ipse
- Luce, 3.* Christus in docendo faciebat: *Vobis (inquiens) datum est nosse mysterium regni dei: cæteris autem in parabolis: ut uidentes non uideant, &c.* Quod ergo docente Christo & prophetis, contigit, id etiam in scriptura ipsa est uidere: ut sit nunc scriptura sacra uerissime, quod ipse Christus dicitur esse a Petro: lapis scilicet offensionis, & petra scandaliis, qui offendunt uerbo: nec credunt, in quo positi sunt. Est ergo scriptura sacra obscura: & facile ad diuersa ac contraria trahitur. Verum interiores spiritus sancti motus multo sunt ea obscuriores: atq; ideo per ipsam scripturam regulandi & illustrandi. Quanquam enim
- 1. Ioan, 2.* Ioannes scribit: *Unctio spiritus sancti docet nos de omnibus:*
- 1. Ioan, 4.* tamen alibi præcipit: *Nolite omni spiritui credere: sed probate spiritus, utrum ex deo sint.* Quærenda est igitur doctrina exterior & uisibilis: qua de his dubiis efficiamur certi. Oportetq; illam præsentem esse, & in terra in promptu haberi: nisi uelimus quotidie nobis Christum in corpore adesse, a quo dubiorum explicationem requiramus: cum tamen ipse ecclesiam suam usq; ad finem sæculi satis & fundatam & munitam reliquerit. In ea ergo oportet esse hanc infallibilem & præsentem regulam, atq; eam unicam, & communem omnibus. Nam cum (ut diximus) una sit omnium fidelium, ubicunq; terrarum agant, fides: nec in uno corpore debeant esse schismata: necesse est, nec debere esse diuersas regulas, quæ uni alicui non conueniât. Dedit itaq; Christus dominus in ecclesia sua alios euangelistas, alios pastores, & doctores (ut Paulus inquit) in consuetudinem sanctorum, ad opus ministerii: ad quos recurrentum est. At uero nec horum singuli omnino certè & indubitateg sunt fidei. Nou enim cuilibet episcopo, aut pastori, aut doctore

tori credendum est: ut Christus admonet: Attendite (dicens) a falsis prophetis, qui ueniunt in uestimentis ouium: intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Ac de ultimis temporibus loquens, quæ aut nostra sunt, aut ualde illis similia: surgent (inquit) Pseudopropheta, & Pseudoapostoli. Videte ne quis uos seducat. Multi enim ueniunt in nomine meo, dicentes: quia ego sum: & multos seducunt. Quid igitur facient fideles, cum uiderint in rebus fidei uarietatem, & schismata doctorum perspexerint: ad quam aspicient unam, & infallibilem regulam: certe ad ecclesiam. Facient ergo quod in lege ueteri, in figuram certe ecclesiæ nostræ institutum & mandatum est. Necessè est namque quicquid ad perfectionem & unitatem pertinet, melius in ecclesia inueniri, quam olim in Synagoga. Ita ergo in lege ueteri scriptum est: si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & iudicium inter portas tuas uideris uerba uariari: Surge, & ascende ad locum, quem elegerit dominus deus tuus: ueniesque ad sacerdotes leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore: quaresque ab eis: qui indicabunt tibi iudicii ueritatem. Et facies quodcumque dixerint tibi, qui præsumt loco, quem elegerit dominus, & docuerint te iuxta legem eius: sequerisque sententiam eorum: nec declinabis ad dextram, nec ad sinistram. Si ergo deus illi populo certam & unicam regulam dedit: si locum certum elegit, ubi illa esset: si doctrinæ infallibilitatem (nam docebunt, inquit, te ueritatem) illi concessit: cur putamus hæc de futura ecclesiæ: ac licere cuilibet, quæ sibi uisa fuerint docere, atque eligere quem sequatur doctorem: quo modo erimus omnes in eadem scientia, & in eodẽ sensu, ut Paulus iubet? Tu igitur cum uideris uariari iudicium, surge ad locum, quem elegit dominus, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, hoc est, ad successorẽ Petri: cui Christus in finem

Math. 7.

Mat. 24

Luc. 216

Deu. 17

1. Co. 1.

Mat. 266

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

Ioa. 21. usq; mundi dedit clauēs regni cœlorum, & pascendas oues cō-
 misit. Ex quo aperte patet, successoribus etiam eius ea esse com-
 missa. Surge ergo ad illius sedem: ibi confessum societatemq;
 omnium catholicorum doctorum a principio ecclesiæ huc usq;
 inuenies: qui semper ad eam recurrerant, ac in dubiis autho-
 ritate illius dogmata confirmari uolebant. Sic hoc obseruatum
 esse in antiquissimis omnibus Conciliis, tam uniuersalibus,
 quam nationalibus prouincialibusq; græcorum, Italorum, Gal-
 lorum, Hispanorum: sic omnes patres semper fecisse, apertissi-
 mis monumentis antiquitatis constat. Illa itaq; societas & uni-
 tas omnium doctorum hoc agnoscentium caput, atq; ille iu-
 dex, qui præest, indicabunt tibi ueritatem. Non quod quotidie
 oporteat concilia cogi: quæ tamen suis temporibus fuisse sem-
 per necessaria: sed quod animo, atq; opere fugiendi sint fide-
 libus, si oēs, qui ab hac unitate se separant: ac diligenter inue-
 stigandum, quid tenuerit, & docuerit, hæc ecclesia: in qua cer-
 tum esse debet omnibus non defuturam ueritatem iudicii, ue-
 rumq; scripturæ sacræ intellectum. Potest unus quidem aut al-
 ter errare, & labi: Sed, si ab hac non se separet unitate, ab illa in-
 telliget sine dubio ueritatem: quod & ipsa experientia notum,
 omnibus in confesso est. Omnia enim dubia, quæ temporum
 successu, aut malicia hæreticorum exorta sunt, ex doctrina ho-
 rum patrū, & huius sedis Petri autoritate decissa, explicata, &
 confirmata sunt: ut cum hæretici de diuinitate filii & spiritus
 sancti: & cum de duabus naturis, & unico supposito Christi ce-
 perunt dubitare. In quos sane merito fieri oporteret hoc, quod
 in eodem loco deuteronomii sequitur: qui autem superbierit,
 nollens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat
 domino deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille: & aufer-
 res malum de Israel: & cunctus populus audiens timebit: ut nul-
 lus deinceps intumescat superbia. Quod etiam saluberrime ip-
 se Christus nos docet. Cum enim de Pseudo prophetis loque-
 retur:

Mat. 24.

retur:

retur: Surgent; ait Pseudochristi, & Pseudoprophetae: & dabunt signa magna, & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi: Et addit: ecce praedixi vobis. Si ergo dixerint vobis: ecce in deserto est (scilicet Christus) nolite exire: ecce in penetralibus: nolite credere. Ac rursus ibi apertius: tunc (inquit) si quis vobis dixerit: ecce hic est Christus, aut illic: nolite credere. Quibus verbis aperte significatur, non in uno singulari loco, non in parte donati, ut olim beatus Augustinus clamabat, & multo minus in parte Lutheri, siue aliorum Lutheranorum ab illo etiam dissidentium: sed in hac uniuersali, quae latere non potest, ecclesiae doctrina, & uisibili unione ad unum Christi uicarium, esse ueram fidem, ita perspicuam, ut ea abscondi non possit, tanquam ciuitas supra montem posita. Ac quemadmodum ibidem dicit Christus: Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret usque in Occidentem: ita erit aduentus filii hominis: Sic etiam erit illustratio Christi, & doctrina in ecclesia sua. Vnde ait: Vbiunquam fuerit corpus, illic congregabuntur & Aquilae, Quibus verbis ostendit non posse hanc congregationem caelestium aquilarum, & sanctorum patrum latere, nisi illos, quos deus ita meritis ob peccata sua iustissime dedit in reprobum sensum. Sit itaque fidelis Catholicus firmus & stabilis in hac petra: & quamuis pauca cognoscat, aut attingat: firmissimo tamen animo statuatur & proponatur, se credere omnia, quae in scriptura sacra & traditionibus ecclesiae, ac eius explicationibus credenda traduntur: quo sane modo innititur quidem fidelis deo, ueritatisque primae: uerum humili animo: non scilicet iuxta sensum suum, sed iuxta doctrinam ecclesiae & sanctorum: quam scit certissimam esse regulam: a qua haeretici aberrantes, quantumuis deo se dicant credere & inniti: planissime tamen falluntur. Innituntur enim suo sensui: credentes deum reuelasse id, quod sibi uidetur, non quod ecclesiae: quae est columna, & firmamentum ueritatis, ut Paulus inquit.

1. Tim. 3:

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE
Caput tertium de fide implicita, & explicita.

Post hanc credendorū in cōmuni numerationē, statim ponenda est distinctio inter fidē explicitā atq; implicitā. Vocatur autē explicita: quæ sic credit, ut cognoscat ea, quæ credit: implicita uero, quæ sic credit, ut tamen non ea, quæ credit, cognoscat. Prima quidem est doctorum, atq; maiorum in ecclesia: qui quamuis omnia non possint cognoscere: tenentur tamen curare, ut cognoscant, quæ instructioni populi, & hæresum insurgentium confutationi necessaria sunt. Secunda uero est minorum, atq; eorum, qui in ecclesia non habent docendi authoritatem. Debent autem tales mediam tenere uiam: tum declinantes ignauiam & torporem desidiosorum, qui nihil omnino curant discere ea, quæ fidei sunt: quod quam sit perniciosum supra satis ostendimus in huius operis præfatione: tum etiam fugientes superbam curiositatem eorum, qui propriis non contenti terminis, immodeste perscrutantur diuina: contra illud saluberrimum consilium sapientis: *Altiora te, ne quæsieris: & fortiora te, ne scrutatus fueris. Incedendum itaq; catholico uia regia: doctrinæq; ecclesiæ sic adhærendum, ut quæ tradiderit, atque aperuerit, suscipiat obedienti sensu fidelis, nihil præterea discutiens.* Nam hoc altissimo consilio atque modo, semper fragilitati & ignorantia humanæ consuluit deus, abscondens a rudibus, quæ non sufficeret mens eorum assequi paulatimq; homines assuefaciens diuinis, eos illis percipiendis aptiores reddit. A principio enim post lapsum hominis omnibus electis fidem aliquam, qua & consolationem haberent, & euaderent æternam mortem, donauit: sed eam ualde confusam, atq; implicitam: qua satis erat tunc credere deum non defuturū suis, neq; perpetuo eos relicturū: ac pios, ipsiusq; studiosos remuneraturum: etiamsi de modo, aut ratione, qua
id fieri

id fieri deberet, nihil cogitarent. Nam oportet (ait Paulus) ac-
cedentem ad deum credere, quia est, & quia inquirentibus se
remunerator est. Quanquam tunc etiam deus non omnino ta-
cuit consilium illud salutis humanæ, & aduentus filii sui: sed cre-
ditur ipsi Adam id reuelasse. Atq; Adam putatur aliis id indi-
casse, ut filio Enos: & hic item aliis. Nec tamen sapientissimus
dominus uoluit tunc omnino illud euulgari: quoniam id non
capiebat mundus. Iam uero populo in unius dei cultu con-
gregato, aperte redemptorem promisit, uoluitq; in fide expe-
ctationeq; eius saluari homines illius populi: dicente Moyse: *Deu. 18*
Prophetam suscitabit tibi dominus, &c: Quis uero hic esset fu-
turus, uerus deus, an tantum homo, quomodo redempturus,
aut a qua seruitute: tunc figuris, ænigmatibus, ac obscuris
uerbis ostendit, electis suis amicis, & prophetis, maioribusq;
aperiens sensum illorū. Nam hoc significabant sacrificia, obla-
tiones, cæteraq; illæ ceremoniæ: quas frequentabat populus,
nec intelligebat. Mactabat enim uitulos, ac offerebat agnos,
panes, & incensa: hoc tantum cogitans quod deus ita consti-
tuisset: quibus tamen omnibus Christus significabatur, & præ-
dicebatur: quem illi implicite confitebantur, facientes quæ ipsi
non intelligebant, sed deus solus, & nonnulli: quibus id myste-
rium aut ipse deus reuelarat, aut prophetis reuelatum ostende-
rat. Quæ fides usq; ad prædicationem euangelii sic permansit,
nō magis explicata. Apostoli etiā eodem ordine euangelii præ-
dicantes, immo & ipse Iesus, in primis id tantum exigebant, ut
crederent Christum esse uerū Messiam, prophetam q; illū, qui
fuerat ante a deo promissus: etiam si neq; illum esse deū, neq; mo-
dum eius natiuitatis, atq; conceptionis cognoscerent. Ita enim *Mat. 13*
legimus in euangelio multos inuocasse eum sub nomine fi- *20*
lii David: quorum fides laudatur. Ac in primis quoq; concioni-
bus, quas in libro actorum Apostolorum est uidere, de diuini-
tate Christi non fit mentio. Nam Iesum Nazarenum
(dicebat

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

(dicebat Petrus) uirum probatum a deo hunc saluatorem constituit, &c. Paulatim uero corroboratis Christianis aperte Christi diuinitatem doctores nostri prædicabant; multa interim alia occultantes, ac tacentes: ut qui idem, quod de uasis templi deus fieri præceperat, de sacramentis his faciendum iudicarent. Illa enim præceperat deus inuoluta, coopertaq; tradi portanda

Num. 4. iis, qui ad id erant deputati; de quibus ita scribitur: illi nulla curiositate uideant, quæ sunt in sanctuario, priusquam in uoluantur: alioqui morientur. Sic certe nunc expedit populo, quæ sibi ab ecclesia traduntur, suscipere inuoluta, nec curiositate aliqua perscrutari libros diuinos, uerbaq; ipsa scripturæ sacræ: nisi cū ei exponuntur ab ecclesia, atq; ab iis, quos deus præfecit distri-

Mat. 21 buendo populis cibo huic spiritali, iuxta illud euangelii: Quis putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit dñs super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? Primum igitur fide hac contēti, quod ecclesia sit magistra nobis a deo data, quodq; quicquid illa credit, uerum sit: sciant hac fide duplici merito se apud deum effici commendabiles: altero fidei: quo ita apud deum merentur, ac si singula fidei mysteria cognouissent: altero etiam humilitatis, reuerentiæq; diuinorum. Nam indignos se reputantes ad perscrutāda diuina, hoc ipso capaciores fiunt illorum. Humilibus enim hanc gratiam deus largitur. Præterea fide hac implicita fideles in multis diriguntur, ac salubriter ea audiunt: quæ fortassis explicata, aut non caperent, aut putantes se capere, errarent: maxime in iis, quæ circa dei cultum ecclesia seruat. Etenim psallunt simplices, accendunt luminaria, ante sanctorum imagines procumbunt, audiunt euangelium, orationes, & hymnos: hoc solum intelligentes, quod his omnibus deus & sancti colantur: atque ea facientes, ut ecclesiæ discipuli sacramenta recipiunt latine tradita: ac sensui, atq; fidei maiorum adhærent sæpe deuotius, ardentius, atq; adeo etiam utilius, quam qui multa intelligunt, & perscrutantur. Est uero
hære

hæreticorum mos statim simplices hac abditorum perscrutatione conturbare: ut, dum difficiliora fidei non penetrant, facile rationibus apparentibus ad errores trahantur: cum tamen amoris sancto atq; pietati populi esset magis consulendum, quàm eruditioni, atq; clariori notitiæ reconditorum. Placet enim deo magis sancta pietas atque simplicitas, quam anxia inquisitio: uidemusq; quotidie simplices & pauca cognoscentes, pios magis, atq; alacriores in diuino cultu & orationibus: hoc scilicet illis sufficiente ad promouendum in deum amorem: quod putant se a deo summe bono ac benigno petere auxilium, salutem, & cætera, quæ ualde desiderant. Nec uero obest, quod latine audiunt euangelium, & latine Sacramentum uident ministrari, atque ita sumunt. Satis enim est eis ille animus, & implicita cognitio. Obestet uero magis, quod uulgari sua lingua illa omnia audientes, uel simplicitate uerborum, uel aliquando etiam obscuritate, uel alia quoq; causa quædam minoris æstimarent, & contemnerent: alia aliter quam opus esset, intelligerent. Itaq; nunc etiam Christianus populus in dei cultu, sicut olim Iudeorum, ducitur. Quanquam multo plura sunt omnibus nunc manifesta: & quidem ea, quæ abunde sufficiant ad conseruandam, augendamque pietatem: quam maxime deus requirit a nobis. Debet ergo sincerus discipulus Christi id obseruare, quod Moyse dixit deus. Cum enim descensurus in nube illa terribili super Sinai, mandasset ei, ut terminos constitueret populo, quos transire non posset, addit: Contestare populo, ne forte transcendere uelint terminos ad uidendum dominum, & pereat ex eis plurima multitudo. Descendit autem nunc deus in Sacramentis, & uerbis suis: quæ in ecclesia ministrantur efficacius quidem atq; præsentius, quam olim in monte Sinai descenderit. Quare magno timore hæc considerantes, caueamus propius accedere, quam ab ecclesia sit constitutum. Cuius rei *Rom. 12* Apostolus Paulus serio ualde nos omnes admonet. Quam ad-

O monitionem

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

monitionem etiam atque etiã hortamur, ut omnes omni cura suscipiant. Dico enim (inquit) per gratiã dei, quæ data est mihi. Vbi non ait: ego solus id dico, aut a me dico, sed per gratiã dei: ut agnoscamus quanto sit hoc attentius audiendum: quod sequitur: Dico omnibus, qui sunt inter uos, hoc est, non huic, aut illi, sed omnibus: non plus sapere, quã oportet sapere: sed sapere ad sobrietatẽ, & unicuiq; sicut deus diuisit mensurã fidei. Vide quã aperte ostendit mensurã imponendam scientiæ, atque esse sciendi etiã suã ebrietatẽ non parũ periculosam, Docet itẽ, unde sit mensura, aut regula sumenda: qua scientiæ modum imponamus: Vnicuiq; (dicens) secundũ quod deus diuisit mensuram fidei. Diuisiones enim gratiarum sunt: ut idem alias scribit. Quid uero uelit hoc significare, secundum quod deus diuisit unicuiq; statim sequentibus aperit. Nam addit: sicut enim in uno corpore multa membra habemus: omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo: singuli autẽ alter alterius membra, habentes donationes secundũ gratiã, quæ data est nobis, differentes. Quasi sic scriberet: dixi secundum quod deus diuisit: quoniam sicut diuersos gradus cõstituit in ecclesia: ita cognitionẽ diuisit, & scientiam: ut alii doceant, & exhortentur: alii hæc suscipiant. Peruertit ergo diuinũ ordinẽ, & turbat dispensationem spiritus sancti, atque ex ecclesia ordinatissima Babilonem confusissimam efficit, qui minores uult in ecclesia, secreta fidei atque arcana scripturæ tractare: certe in hoc imitatus diabolum, parentẽ erroris & mendacii: qui amore scientiæ allexit primos nostros patres: quod Paulus maxime timet, ne simplicibus eueniat: Timeo (scribens) ne sicut serpens seduxit Euam astutia suat: ita corrumpantẽ sensus uestri, & excidant a simplicitate, quæ est in Christo Iesu. Quæ omnia dicta sunt: cum quis libenter, alacriter, & cũ animi pietate diuina audit: in templo permanet: ceremonias implet, non aliud cogitans, quã quod eẽ deo placeant, & quod iis
deus

1. Co. 12

2. Co. 11

deus honoretur: suscipit sacramenta, ut ei traduntur: ac deniq̃ cum propheta, charitate plenus, ex humilitate sinceraq̃; cogitatione bonitatis diuinæ, quam ex iis, quæ publice ecclesia docet, satis degustare potest, clamat: Inflammatum est cor meum: & Psal. 72 renes mei commutari sunt: & ego ad nihilum redactus sum, & nesciui. Ut iumentū factus sum apud te: & ego semper tecum. Hoc est: ineptissimum me, atque prorsus indignum tuis existimo: quæ tamen, qua possum uirtute, amo. Tunc ergo sobrie sapimus, cū gradum propriū agnoscentes, sumus eo contenti: finemq̃ ipsum scientiæ considerantes, quantū ad eum finem promouere nos potest, conamur scire. Notū est autem hic in mortali corpore scientiā ad amorem, ad charitatem, atque ad uirtutem refferri. Nec enim quantū sciamus a nobis deus requirit: sed quantum amemus, & quantū operemur. Neq̃ efficiamur deo grati scientia: sed amore, & bonis operibus. Id ergo quod ad uitam instituendam, & ad deum amandum, eiq̃; seruiendum scire expedit, conemur omnes scire: Atq̃ quid in uita, moribusq̃ nostris deo gratum, quidue ingratum illi esse possit, discamus: ac deniq̃ quod ad dei amorem, ueramque charitatem nutriendā, & augendam in nobis conducibile erit, hoc assiduo cogitemus: hoc die nocteque mente uoluamus. Neq̃, quemadmodū morosi & ingrati Iudei, noua quotidie a deo petamus, & uelimus cognoscere. Ita enim illi dicebant: Anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo: & nihil cernunt oculi nostri, nisi Manna. Nan. 11 Quo etiā modo nunc auidi nouitatum articulos fidei, symbolū, & alia id genus cōmunia ecclesię documenta fere fastidiunt, existimantes illa arida esse: cū plena profecto sint charitate, dulcedineq̃; diuina. Iam ergo post tot admonitiones sanctorū, hic rursum plenius repetamus saluberrimā illā sapiētis admonitionē, Eccli. 5 cuius in principio meminimus: Altiora te ne quæsieris: & fortiora te ne scrutat⁹ fueris: sed quæ tibi præcipit deus, illa cogita semper: & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. Vide, eū prius

INSTITVTIONIS | CHRISTIANAE

Psa. 110
Psa. 138
 altiora nobis non fore scrutanda docuisset, quam apte statim, quæ inquirenda & cogitanda sint nobis, subiungat: quæ tibi (inquiens) præcepit deus, &c. Etenim sunt nobis diuina opera admiranda, laudanda, extollenda, atq; nimium amanda. Magna enim opera domini, ait Psal: & alibi: Mirabilia opera tua: & anima mea cognosceret nimis. Verum non sunt anxie nobis, ut perfecte intelligamus, querenda. Vt enim illud pii animi: ita hoc plane est curiositatis. Vnde statim idem sapiens adhuc commendans nobis illud, ait: Non est enim tibi necessarium, quæ abscondita sunt uidere oculis tuis. In superuacuis rebus noli scrutari multipliciter: & in pluribus operibus eius non eris curiosus. Atque omnium horum, quæ dixerat, causam reddens, addit: Plurima enim super sensum hominis ostensa sunt tibi. Quare non sunt nobis curiose perscrutanda dei opera: quod scilicet sint supra captum hominis. Si namq; uel tantillum uelimus ultra fidei nostræ mensuram illa intelligere, ipsa eorum luce reuerberante animæ nostræ acies excæcabitur. Illum ergo, qui utilia nos docet, inuocantes, nihil nos scire arbitremur: nec aliud scire uelimus, quam Christum Iesum, & hunc crucifixum: atque omnia, quæ nos ecclesia docet, hoc animo & desiderio ad discamus ac cogitemus, ut ardentiores, & in dei cultu magis pii & prompti reddamur. Iam igitur ad ea, quæ explicite credenda diximus, est accedendum. Posuimus autem tres ordines illorum: qui sunt omni diligentia mente tenendi: in quorum primo collocauimus Symbolum duodecim Apostolorum, totidem articulos continens: quod nunc est eatenus declarandum, quatenus mensuræ piorum sufficiat.

Caput quartum de unitate dei.

CREDO IN VNVM DEVM.

Hic

Hic statim notare libet fidei excellentiam, & altitudinem: quæ mox omittit ambages, & operosos Philosophorum discursus, naturali inopiæ intellectus nostri seruitutes: quibus homines primum ab infimis & obscurioribus incipientes, corpora hæc & corruptibilia cognoscunt: tum ad superiora coelestia, lucidaq; & incorruptibilia: tū ad angelos, mentemque nostram, spirituales substantias & immateriales transeuntes, uix tandē nec satis inter philosophos constanti ratione, ad deum, qui natura sua longe cæteris clarior & intelligibilior existit, perueniunt. Neq; mirum, si sic paulatim assueti intellectu cogitare maiora, efficiamur capaces uel minimæ cognitionis dei. Est enim hæc nostri intellectus natura, ut ea, quæ ex se lucidiora sunt, obscuriora sint illi: qualis est solis claritas noctuæ oculis. Quare necesse est nobis ab infimis incipere cognitionem, contrario nempe ordine. Hæc uero lux fidei, & hic diuini uultus splendor sic perficit, ac corroborat nostram debilitatem, & deiectionem attollit: ut faciat in ipsum deum oculos figere, & quasi uolatu uno cuncta, & hominē etiam ipsum transcendere, ac deo ipsi nos appropinquare. Immo deum iam præsentem nostro intellectui faciens, adiuuat: ut eum primum, deinde creaturas cognoscamus, dicentes ante omnia: Credo in unum deū. Hoc est: primum, certissimum mihi est esse deum, ac esse perfectissimum, summum, & primum omnium entium ens, bonorum omnium optimum, primumque bonum, & pulchrorum omnium pulcherrimum: cuius unius sic est omnis bonitas, omnis perfectio, omnis pulchritudo, & omne demū, quod desiderari potest: ut nulla esse possit perfectio nisi ab illo, neq; pulchritudo illi ulla deesse. Eum autem ita esse credo, ut nunquam inceperit, nec desierit: immo nec incipere, aut desinere ullo modo possit aut potuerit unquam, uel aliud ei succedere. Item credo illum non ab alio esse, sed omnia ab illo: Item ab æterno esse, & in æternum, sine principio, & sine fine: qui est prin

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

cipium & finis omnium: item esse necessarium ens, neq̄ potens
 deficere, & immutabile: cui nunquā unum post alterum uel ad-
 uenit, uel abscedit: item esse incorporeum, non distentum locis,
 non delineatum figuris, aut proportionibus, ditissimum, non
 auro & argento egentē, gloriosissimū, nullius uel gloria uel lau-
 de indigentem, sibi soli sufficientē, seipsum lætificantem: a quo
 omnis sufficientia, & omnis læticia est: item sic seipsum cogno-
 scentem & scientem, sic omnia intelligentem & potentē, sic om-
 nimore perfectū: ut tamen nihil in eo sit ab alio diuersum, aut
 cū altero compositū: sed sic sapientem, sic potentem, sic bonū,
 ut sit ipsa sapientia, ipsa bonitas, & ipsa potentia: quæ omnia in
 eo sunt idem: item esse incircumscriptum, & illimitatum, atq̄ ab
 aliis omnibus natura sua & perfectione sic eleuatū, ut nihil sit ei
 comparabile: bonitatis uero & uirtutis immēsitare adeo exten-
 sum, ut totus in omnibus creaturis sit, totus in singulis, totus su-
 per omnia, nō scilicet rebus inclusus, neq̄ detentus, sed omnia
 cōtinens, omnia excedens, omnia implens, & omnia superans.
 Denique credo deum supra omnem captum sensus, imagina-
 tionis, & intellectus nostri sic esse, ut de eo nihil certius possim
 cognoscere, quam quod omnem cognitionem superet, & quod
 eum ignorem. Præterea credo deum hunc unum esse, non mul-
 tiplicabilem, non diuisibilem, cum nihil ei deesse possit. Valeat
 ergo stultus & insipiens, qui dixit: non est deus. Abeant idolola-
 træ. Pereant deorum multiplicatores, risu digni: qui partiuntur
 inter deos suos perfectiones: cuidam hanc, cuidam illam tribu-
 entes: atq̄ hunc una, illum altera priuantes. Necessè est enim
 nō esse deum: cui uel aliquid perfectionis adimunt, quod dent
 alteri: uel cui imperfectionem aliquam tribuunt, quā tollant ab
 altero. Hæc porro omnia deo ipsi reuelanti, & in sacris literis
 per seruos suos & amicos clamanti credidi. Nā audi(inquit dñs
 per Moysen) Israel: dñs deus tuus, deus unus est. Et rursum per
 Dauidē: Israel, si audieris me, non erit in te deus recens; nec ado-
 rabis

Psal. 13.

Psal. 80.

rabis deum alienū. Ego enim sum dominus deus tuus. Ac per
 Esaiam uociferatur: Ego dominus: non est alius: non est ultra
 deus absq; me. Conuertimini ad me, & salui eritis omnes fines
 terra: quia ego dominus: & non est alius. Moyſi etiam quaren-
 ti adeo, quod esset nomen eius: ipse se nominans: Ego (re- Esa. 45.
 spondit) sum, qui sum. Et hæc dices filiis Israel: qui est, misit me Exo. 3.
 ad uos, &c. Et addit: hoc nomen est mihi in æternum: & hoc
 memoriale meum in generationem & generationē. Non autem
 dicit: qui est hoc, uel illud: ut homo, aut angelus: sed qui est
 absq; limitatione. Quasi dicat: qui est omnia: & qui omnes ha-
 bet perfectiones, estq; unus in omnibus illis: & in quo illę om-
 nes sunt unū, ipsum scilicet eius esse. Vnde cum Moyſe loquēs: Gen. 33.
 Ostendam tibi (dicit) omne bonum. Et Hierc: clamat in spiri- Hier. 32
 tu: fortissime, magne, & potens. Dominus exercitū nomē tibi.
 Magnus consilio, & incompræhensibilis cogitatu. Ac Dauid Psa. 149
 magna cum læticia sapius canit: Sapientiæ eius non est nume- Psa. 144.
 rus. Dominus excelsus, terribilis, rex magnus super omnē ter- Psa. 46.
 ram. Et Iob: forsitan (inquit) uestigia dei comprehendes, & usq; Iob. 12.
 ad perfectum omnipotentem reperies: excelsior cælo est: quid
 facies? profundior inferno: & undē cognosces: longior terra
 mensura eius, & latior mari. Et alibi: Ecce (ait) deus magnus, Iob. 36.
 uincens scientiam nostram. Neq; uero solum credo deum seip-
 sum nobis reuelasse (hoc autem est credere deū, & credere deo)
 sed credo etiam in eum, agnoscens ipsum esse ultimum finem
 meum & omniū: atq; summe illud desiderabile, summeq; amabi-
 le: ac credendo tendo amore in ipsum, & diligo eum super om-
 nia, ut par est: & deniq; detestans omnia illi contraria, ac om-
 nem amorem, qui propter ipsum non est, ex animo expellens,
 ex toto corde, ex tota anima, totis uiribus eum diligendum esse
 confiteor: idque sciens sine eius dono me non posse facere, hu-
 millime peto, trahat ad se totū affectū meū. Quod ut allequar,
 quamuis cordis mei nō plene sim conscius: ecclesię tamen, quæ
 una est illius sponsa, & in qua perfecta & uera est eius charitas

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

me adiungens, uti membrum eius, audeo uocem illam totius corporis usurpare: Credo in unum Deum cum ecclesia: illum colo: illi debitam seruitutem corporis & animæ offero: seruitutem, inquam, quam latrariam uocant, soli primo principio summoq; bono debitam: atq; iuxta ecclesiæ doctrinam, primo omnium hanc intellectus mei latrariam, & seruitutem exhibeo, intellectum meum illi subiiciens, illi credens, eumq; gratissima uoluntate illi offerens.

Caput quintum de tribus personis.

PATREM OMNIPOTENTEM: ET
in Iesum Christum filium eius unicum: credo
in spiritum sanctum.

SVpra diuinæ naturæ incomprehensibilitatem utcuq; explicauimus: nos ipsos pro modulo nostro ad eius cognitionem, & amorem excitantes. Iam autem Trinitas personarum credenda proponitur prædictis uerbis: quæ licet non simul sint posita in Symbolo: explicant tamen personarum Trinitatem: quam simul etiam breuissime proponemus, tantum mysterium silentio magis, quam uerbis honorantes. Dicat ergo Catholicus: Credo hunc uerum Deum, quem confessus sum, tam ineffabilem esse: ut unus existens, trinus sit. Vna porro est natura nullo modo multiplicabilis: neq; ulla est in ea diuersitas, sed perfecta unitas. Verum hæc sic est, ut nulla sit in ea solitudo, neq; ulla orbitas: sed tres sint in hac omnimode una natura personæ: Pater generans, filius genitus, spiritus sanctus a genitore & genito procedens, ac genitoris & geniti nexus, & unio. Vbi quanto penitius fides deum attingit, & penetrat magis eius secreta: tanto intellectum nostrum magis deo subiicit, seipsum de
spicere

Spicere & abnegare cogens. Quasi ita dicat fides homini: puta-
 bas ne te dei naturã posse metiri? Deũ ita comprehendere, ut ni-
 hil te illius lateret? Sed quid hoc indignius deo! Itaq; quidquid
 ratio clamauerit, quidquid apparens probabilitas ostenderit in
 cognitione dei, ne uiribus tuis, sed dei reuelationi innitere: Cre-
 de reuelanti Christo: & sigillũ, quo in Baptismo insignitus es,
 tene. Baptizatus .n. es in nomine patris, & filii, & spiritus san-
 cti: ut tres scilicet personas intelligeres, sed unum tamen
 deum. Hoc est enim unicum illud testimonium, de quo Ioan. ^{1. Ioan. 5}
 nes ait: Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, uerbũ,
 & spiritus sanctus. Merito autem unum dant testimonium:
 quia hi tres (inquit) unum sunt. Crede ergo patrem ab æter-
 no filium uere genuisse: ueriusq; & certius filium esse genitum,
 quam sit in creaturis aliquid genitum: cui pater dicit: Ex utero ^{Psa. 106}
 ante luciferum genui te: & rursus: filius meus es tu: ego hodie ^{Psal. 26}
 genui te. Vere quidem genitus est filius: sed ineffabili & nobis
 incomprehensibili modo. Quo itaq; modo non sit hæc gene-
 ratio, dicere possumus: sed modum eius nequaquam ualemus
 uel intelligere. Nihil autẽ est in hac generatione corporeũ: ni-
 hil materiale: nihil imperfectũ: nulla commixtio: sicut in aliis
 generationibus uidemus: nihil ibi producibile, nondum ue pro-
 ductum: nihil paruum: nihil proficiens: nemo altero prior, uel
 senior: sicut nemo posterior, uel iunior: sed ab æterno solus pa-
 ter perfecte generat perfectum filium, sibi æqualem, atq; eius-
 dem omnino naturæ. Crede item filium genitum sapientiam
 esse uerbumq; quod pater seipsum perfectissime exprimẽs sibi
 ipsi, ac simul oia quæ cognosci possunt, producit: itẽ esse imagi-
 nẽ inuisibilis dei perfectam, uerbũq; de quo legis apud Ioannẽ: ^{Ioan. 1.}
 In principio erat uerbum. Ne credas igitur Arrio, qui dixit fili-
 um esse creaturã, & alterius naturæ, quam sit pater. Deus enim
 erat uerbum. Neq; sabellio, cõtendenti eandem personam filio
 esse & patri, soloq; nomine destingui. Nam uerbũ erat apud deũ.

INSTITVTIONIS CHRISTIANÆ

- Ioan.* 10, Atq; ipse Christus de se ait: ego & pater unum sumus. Quasi
10, dixerit: sumus quidem plures personæ: unum tamen sumus na-
tura. Crede etiam spiritū sanctum a patre & filio ab æterno pro-
cedentē, patris & filii spiritū, illis per omnia æqualem, atq; ean-
dē, quam illi habent, ab eis ab æterno procedendo naturā acci-
pientem. Vnde ipsum Christus tum a patre procedere testatur:
Ioan. 14, qui a patre (inquens) procedit: tum & a se mitti: atq; ideo etiam
procedere. Crede item spiritum sanctum dilectionem esse &
amorem, quem Pater & filius se ab æterno diligentes spirant:
ac se (inquam) diligentes & oīa alia, quæ diligunt, ut nos & cæ-
teras creaturas, ipsum producant. Hanc incomprehensibilem
1, *Ioan.* 1 Trinitatem, atq; hoc arcanum cordis diuini, unigenitus ipse
enarravit, & spiritus sanctus nobis inspirauit. Qua reuelatiōe &
inspiratione arrabonem, pignusq; æternæ beatitudinis & clarę
sui uisionis nobis tribuit deus: immo & initium quoddam, &
Ioan. 15, prægustationem ipsius. Quare Christus ait: uos autem dixi ami-
cos: quia omnia, quæcunq; audiui a patre meo, nota feci uobis.
Hoc igitur nihil aliud discutientes, sic credamus oportet: certi-
modum rationemq; huius mysterii esse nobis in hac uia pro-
fus inscrutabilem: sed hac fide tamen dignos nos effici, ut plane
intelligamus in illa beata patria: iuxta illud: nisi credideritis, nō
Esai. 7, intelligetis. Sic enim etiam hic locus legitur secundum aliam
uersionem. Hæc de natura ipsa diuina, & interioribus eius na-
turalibusq; productionibus fides docet. Iam, quæ de illius ope-
ribus tradat, audiamus.

Caput sextum de creatione.

CREATOREM COELI, ET terræ.

Hic post duos præcedentes articulos primus est: quoniam
hæc

hæc prima sit operatio dei extra se: quam reliquæ omnes præsupponit. Docet ergo nos fides, deũ oĩa uisibilia & inuisibilia in initio temporis creasse: idq; nulla, unde ea faceret, materia præcedente, sed prorsus ex nihilo. Nã sic scriptũ est: in principio creauit deus cœlũ & terram. Quod quidem hoc modo meditabitur Gen. 1. pius fidelis. Deus ab æterno in semetipso perfectus, sine principio aliquo, Deus (inquam) Pater, & filius, & spiritus sanctus, simul atq; est, seipsum perfectissime intelligit & amat: aliorũ autẽ, quæ extra se sunt, nõ indigens, nihil eorũ necessario uult: sed se perfecte intelligens, cognoscit simul ab æterno omnem suã immensam & infinitam potentiã, habetq; notitiam omnium possibiliũ: quæ certe infinita sunt & innumera, nec unq; terminari possunt: sicut nec eius plenitudo, & fons abundantiæ ita exhauriri potest, quin quibusuis productis, plura semp̃ pducere possit. Erant ergo ab æterno in noticia dei infinita, quæ produci poterant: sicut sunt in artificis mente rerum earũ, quas per artẽ producere nouit, formę & exẽplaria. Nihil itaq; quod ab initio mundi contigit, continget, productũ est, aut produceretur, deum potuit latere: immo producibilia etiã tunc erant nota, atq; illi præsentia. Quæ sapientia prorsus infinita est, & maxime mirabilis: de qua merito Paulus: O altitudo (exclamat) diuitiarum sapientiæ & scientiæ dei. Potentia item sapientiæ per omnia æqualis, ea ipsa omnia ex nihilo poterat producere sine labore, sine conatu, sine difficultate, sine mora, summa facilitate, & deniq; solo nutũ. Verum illi nihil horũ erat uel tantillum necessarium: neq; ullius egebat opera: immo nihil erat, quod uel omnia illa deo possent conferre: uel deus ipse ab eis suscipere: qui tantus est, ut nec unde deficere, nec quo proficere possit, habeat. Non enim angelus, non homo, non cœlum, non terra quidquam conferre poterant deo, Caterum aderat deo nostro summa illa bonitas sua, nõ minor sapientia & potentia, bonitas (inquã) immensa: quæ se diffundens ac cõmunicans, nõ eũ intra se tantũ

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

continere fuit, sed ad hoc duxit, ut uellet extra seipsum se dif-
 fundere, ac communicare, atq; creare aliqua ad gloriam suam,
 non certe augendam, sed illis communicandam in ipsorum sci-
 licet utilitatem. Nam solū hoc deus in suis operibus uult, bonū
 Li. de do. facere & illud communicare aliis. Hæc est bonitas illa mirabi-
 Christ. lis, de qua beatus August; quia bonus est (inquit) sumus. Sumus
 Mag. 1. igitur ab illa summa sapientia & potētia immensa. Nam utraq;
 dist. 2. necessaria fuit, ut esse possemus. Sumus etiam ab illa bonitate:
 qua factum est, ut qui esse poteramus, essemus. Infinita enim es-
 se poterant; sed elegit, quæ uoluit, & quæ sibi placuerunt: quod
 sane hoc ordine pie & Catholice cogitari potest. Elegit primum
 nobilissimas creaturas, angelos: qui puri intellectuales deoq; si-
 miles per se ipsos possent creatorem suum cognoscere cogni-
 tione naturali: quiq; tamen per gratiam possent ad altiore m co-
 gnitionem eleuari. Deinde homines ex spiritali & corporea
 natura compositos: qui possent quidem deum creatorem suum
 agnoscere: sed non nisi corporeis organis, & corporearum re-
 rum adiumento. Sunt enim inter intellectuales creaturas infir-
 mi, atq; omnino nudi humani intellectus: egetq; homo multis
 corporeis rebus ad conseruationem corporis, & ad animæ mi-
 nisterium. Propter hunc ergo & conseruandum & instruendū,
 uniuersum hunc corporeum mundum creauit altissimus. Non
 enim propter angelorum necessitatem, & multo minus prop-
 ter suam, hæc omnia creata sunt: sed in ministeriū cunctis gen-
 Gene. 1. gentibus: ut aperte scriptura sacra in productione coelorum,
 plantarum, & animalium testatur: atq; experientia ipsa ostendit.
 Neq; uero hominem solum elegit in communi: sed ex infinitis
 etiam, quos coram se habebat, hominibus æque suæ potentiæ
 subiectis elegit, quos uoluit: solum quia bonus est. Ac iam tunc
 statuit, & disposuit quo tempore & loco quenq; hominem pro-
 duceret, & quæ illius usui essent necessaria, ac quomodo cuiusq;
 hominis libertate ad sui gloriam uteretur. Qua singulari cura
& sapient

& sapientia credere debemus, nos productos esse: de qua satis supra, cum de natura hominis cognoscenda loqueremur, dictum est. His ergo sic ab æterno sine mora dispositis, cum uoluit, nulla ratione mutatus, primum ante omnia produxit angelos: deinde corporeum hunc mundum ex coelis atq; elementis constantem, uelut in habitationem & usum hominis postremo hominem, masculum scilicet & foeminam: unde omnes propagaremur. Sic igitur deum creatorem credens, da gloriam illi: admirare sapientiam immensam in inuentis his mirabilibus operibus: time potentiam infinitam, de nihilo tanta producentem: ama bonitatem tam gratis, & liberaliter se diffundentem & communicantem omnibus, ac maxime tibi. Nec solum creatorem crede, & confitere deum: sed crede etiam conseruatorem omnium, quæ fecit. Idem enim, quod primum creans rebus dedit, semper quamdiu res permanent, dat. Quem admodum namq; aer, quamdiu lucet, necesse habet a sole splendore recipere, amissurus illum, mox ut sol illuminans se subtraheret: Sic omnia, quæ sunt a deo, summo ente fonteq; totius entis, esse recipiunt: ut, si deus uel modicum diuinam illam mentionis suæ uirtutem subtraheret, sint oia in suum nihilum reditura, ut diuus inquit Gregorius. Omnia itaq; deus solus produxit, nullo angelorum ministerio usus: & omnia per seipsum conseruat, omnia gubernat, atq; ad proprios fines terminosq; deducit, iuxta illud: attingit a fine usq; ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Atq; hoc ordine omnia per se solus, cogno-

Sap. 8.

Rom. 12
Iob. 34

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

26 Cor. 3

uim inferens. Hinc uocantur homines dei cooperatores: & ministri dei coadiutores, Deo ita eos honorare uolente. Ab ipso ergo crede esse uel quæcunq; minima. Nihil enim eo ignorante, aut non disponente fit, nec paserculus aut folium arboris mouetur. Quam̄ autē peccata ipsa, quia non sunt aliud quā de factus & priuationes recti, uere nō sunt, nec a deo esse possunt: permittit tamen ea deus libertati hōis, refferens ad bonum ali quod, quod præter operantis intentionem elicere nouit. Item pœnas afflictionesq; & uult, & earū est author. Vnde ipse clamat per Prophetā: Ego dominus formans lucem, & creans tenebras: faciens pacem, & creans malum. Et alius Propheta: Si erit malum (inquit) in ciuitate, quod dominus non fecerit. Est itaq; in creatione deus noster summe potens, in tam multa & uaria de nihilo producendo: sapiens, in tā diuersa distinguendo, & mirabiliter disponento: bonus deniq; in perficiendo & decorando omnia. Item in conseruatione rerum est etiam potens, in perferuando omnia adeo firmiter, ut tam longo tempore, per tot tamq; uarias rerum mutationes nihil perierit, nihilq; eorum, quæ creauit, in nihilum sit redactum: tum sapiens in conuenientissima dispositione, atq; omnium, quæ insipientissime sunt ab hominibus, ad optimum finem deductione: & bonus postremo in uirtutis suæ auxiliūq; benignissima in omnia diffusionē. Hæc omnia omnis pius dicens: Credo in unum Deum, creatorem cœli & terræ, implicite affirmat: quæ explicuisse, atq; quodam modo panem hunc integrum fregisse paruulis humilibusq; fidelibus, puto nihil obfuisse. Si quis tamen non ea omnia intellexerit: oret, ut dignus fiat, qui intelligat. Non enim æquum est fidelem semper foris manere, & corticiliter hære. Sunt et præter hæc latissimi campi meditationum atq; affectionum piarum: ad quas deus humiles mentes aliquando per se solus deducit melius, quam doctoris cuiusquam ministerio.

Esai. 45

Amos. 3

Caput

Caput septimum de quarto articulo, quo
gratiæ opera continentur.

SECUNDAM dei operationem seorsum distinxerunt nobis pa-
stres catholici, & distincto articulo tradiderunt: qua conclu-
ferunt omnia gratiæ opera. Sicut ergo credidimus deum crea-
torem: ita & saluatorem credamus. Ac quamuis hoc nomen
non admodum placeat spectantibus sonum magis, quam rem, 1. Tim. 4
& usum gentilium, quam mysteria fidei: nos tamen cum Paulo
credamus deum saluatorem omnium, maximeq; fidelium: cum
Paulo (inquam) & antiquissimo ecclesiæ usu, Neq; id de salute
aliqua corporea & temporali intelligimus: licet & ipsa sit a deo.
Homines enim & iumenta (ait Psal.) saluabis domine. Nam Psal. 356
pertinet ea ad præcedentem articulum. Hoc uero articulo salu-
tem gratiæ iustificantis confitemur: quæ unica & sola uera est sa-
lus. Credimus ergo non posse creaturam rationalem capacem
dei aliter saluari, & finem, ad quæ condita est, consequi, hoc est,
deum attingere: nisi eius gratia, bonaq; & libera uoluntate adiu-
uetur & iustificetur, iuxta illud Pauli: ipsius est uelle, & perficere Phili. 26
pro bona uoluntate: & rursus: iustificati gratis per gratiam ip- Rom. 32
sius, &c. Hoc autem fit diuerso modo secundum diuersos sta-
tus & hominum & angelorum: ut mox apertius faciemus. Con-
tinentur itaq; hoc articulo omnia, quæ ad salutem hominû per-
tinent: qualia sunt: Sacramenta, ecclesiæ unitas & sanctitas, iu-
sticia hominis, uirtutes, & dona spiritus sancti. Quæ omnia
uerbis illis symboli, Credo sanctam ecclesiam, & cæt, diximus
supra contineri. Sed ea uerba cum aliis multis, quæ iis sunt con-
iuncta, omittim, declarâda post articulos incarnationis dei:
ubi sunt illa posita ab ecclesia. Nûc iustificatiõis, atq; salutis gra-
tiæ mysteriû piis explicandû est in cõmuni. Creatis igitur a deo
angelis & hominibus, aut statuto iam ab æterno consilio quod
crearent, nõ satis fuit illi immensæ bonitati dei, ad eã cognitio-
nem

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

nem diuinitatis suae eos admittere, quam poterant per creaturas alias, & per se ipsos consequi. Poterant enim per speculum & in aenigmate, ipsius comparatione obscurissimo deum cognoscere, ex creaturis inuestigantes creatorem. Atque haec erat summa, ad quam peruenire poterant, foelicitas. Verum se ipsam diffundens dei bonitas, ad altiorem sui notitiam, non qualemcumque, sed claram apertamque, qualem ipse de se habet, uoluit creaturam sui capacem, angelum scilicet & hominem erire: ut id, quod deo soli naturale est & proprium, se clare cognoscere & se frui, fieret per gratiam angelo & homini possibile. Id uero sapientissime & optime, supra quam dici potest, sic uoluit: ut homini atque angelo ea foelicitas contingeret modo conuenienti & apto ipsorum naturae: nempe ut liberis suis actibus, conatibusque, & operibus eam consequi, ac mereri possent. Quare benignissimus deus creaturas, quas ad supernaturalem sui participandam uisionem erigebat, etiam antequam illuc peruenirent, adhuc in uia supra suam naturam eleuauit & sustulit: angelos scilicet & primorum parentum animas decorans donis plane gratuitis & diuinis, fide, spe, charitate, & gratia (quae maxima certe sunt, ut Petrus ait, & preciosa) ut per ea consortes efficerentur diuinae naturae. Ea autem angelis quidem pro se: hominibus uero pro omnibus quoque filiis contulit: addens etiam his non moriendi priuilegium, & potestatem inferiores appetitus continendi rationi subiectos. Quam originalem iusticiam sancti uocarunt: quod esset nobis ex ipso ortu & origine haereditaria. Angelorum ergo quidam superbia se extollentes, delapsi sunt in infimam & aeternam miseriam: qui uero deo se subdiderunt, mox saluati sunt, beatiisque effecti. Non est enim ita angelus natura sua, ut homo, mutabilis: sed breui motu & tempore eget: ut qui nec teneatur corporis grauitate, nec infirmitate trahatur ad mala, ut homo: sed totus feratur, quo semel mouetur. Quare primo actu liberi sui arbitrii angeli meruerunt: hi quidem

dem pœnam: illi uero gloriam. Hoc enim suæ naturæ esse congruentius ipse deus, qui eos condidit, cognouit: ac ideo sic id statuit, & decreuit. Ipse est enim qui diuisit lucem a tenebris: & qui ait: uidebam satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Hoc. 10

Homo uero a præuaricatore angelo seductus amore uanæ scientiæ, præcepto dei de pomo uetito inobediens fuit: atq; morti, peccato, æternæq; damnationi factus est perpetuo obnoxius: priuatus gratuitis illis donis, quibus iustificabatur, & quibus appetitus sensibiles brutalesq; motus, rationis imperio subdebantur. In quo primo parente nos omnes peccauimus: ac ideo Ro. 5. 12

sumus, priuati gratia illa: nascimurq; omnes filii iræ, & morimur. 2. Co. 1. 5

Atq; hanc priuationem gratiæ, inordinatamq; appetitus rebellionem, peccatum originale uocat sanctorum chorus: quemadmodum equus aut homo uocatur albus: non certe sic uocandus, si auferatur albedo, & maneat corpus. Nam omnino illa appetitus rebellio inordinata non uocatur proprie peccatū, si tollatur defectus ille gratiæ: qua & deo placet anima, & digna est regno illius, & hæres per adoptionem illam: de qua Ioannes clamat: nunc filii dei sumus: & non dum apparuit quid erimus. Scimus quoniã, cum apparuerit, similes ei erimus. Perierunt ergo omnes homines in Adam: nec poterant redire sua uirtute ad priorem illam gratiam, quæ supra naturam etiam integram erat: immo collapsa iam & corrupta natura, etiam in ipsis uiribus naturalibus infirmior facta est: eramusq; omnes ad Ioan. 8.

dicti seruituti peccati, non quidē libertate arbitrii amissa, sed sic infirmata, & sic corruptiōe appetitus ei præualente, ut uoluntarie homo ferretur in desideria carnis, ac concupiscētias oculorū, a nullo coactus, sed abstractus & illectus a satana & propria Iacob. 2. 3

cōcupiscētia, destitutusq; dei auxilio & protectione gratiæ. Verum deus, qui diues est in misericordia, præstabilis super malicia, quiq; ab æterno hominem in hanc miseriam incisurum cognouerat & præiuderat, nullo modo eum creasset, nisi con-

Q gruens

INSTITVTIONIS CHRISTIANÆ

gruentissimum soliq; bonitati suæ decentissimum modum, & ex
 cogitasset, & præparasset: quo ipsius bonitas incomprehensi-
 bilis magis appareret. Itaq; ab æterno decreuit deus, pater, fili-
 us, & spiritus sanctus, ut filius homo factus ueniret ad homines,
 & eos saluaret, atq; ad gratiam illam, unde ceciderant, ac ideo
 ad pristinum ius & titulum gloriæ illos reduceret, pro eorū pec-
 catis iusticiæ dei satis faciens, satisfactione quidē sufficienti pro
 omnium peccatis: eam tamen deus noster, quibus placuit, com-
 municare constituit, aliis dimissis in culpa et crimine: non aliter
 ac si rex ex multis læsæ maiestatis reis, aliis ignosceret: alios pun-
 niendos relinqueret. Nam, ut Paulus inquit, cuius uult misere-
 tur: & quem uult indurat. Hanc autē salutem sic temperauit: ut
 primum, nondū plene appetitus inordinata illa rebellionē cura-
 rata, sed ita interim auxilio gratiæ domita ne præualeat, expecte-
 mus in resurrectione uniuersam illā primā appetitus ordina-
 tionem cum magno etiam cumulo gloriæ nos consequuturos
 per Christum, Vnde Paulus iam etiam iustificatus: Video (ait)
 aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ,
 & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. In
 phœlix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis huius? Et
 respōdens sibi: Gratia (inquit) dei per Iesum Christū. Et statim
 addit: Nihil ergo damnatiōis est iis, qui sunt in Christo Iesu. Ac
 etiā de ultima illa perfecta glorificatione: saluatorem (ait) ex-
 pectamus: qui reformabit corpus humilitatis nostræ, cōfigurātū
 corpori claritatis suæ. Hæc igitur ab æterno deus statuit: ac sta-
 tim post peccatum primum, præuisa iam & acceptata hac filii
 sui satisfactione, placari uoluit hominibus: atq; ab illo ipso pri-
 mo peccatore incipiens, omni tempore congregauit homines
 in hac fide & spe redemptionis Christi: quam alii explicite, alii
 solū implicite credentes, iustificati sunt. Non, n. (inquit Petrus)
 est in aliquo alio salus. Neq; enim est nomen aliud datum sub
 cœlo hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, Adiunxit præ-
terea

Rom. 9.

Rom. 7.

Phili. 3.

Act. 4.

terea deus huic fidei aliquando exteriora quoq; signa: quibus eã fidem quodam modo profiterentur homines. Neq; uero adultis solũ, sed paruulis etiã dignatus est salutẽ conferre: quod circumcissione effecit in Abraham: ante uero uel parentũ fide, uel signo aliquo, quo paruulis Christi gratia communicabatur, creditur effecisse. Tandem ipse dei filius de coelo descendit, & redemptione completa iuxta æternã prædestinationem, ac ad cœlũ rursus ascendens reliquit iis, qui in hac fide eius conueniunt, tũ doctrinã suã: qua instruantur & doceantur: tũ Sacramenta, quibus conuenientissimis & benignitati suę naturæq; humanę, iustificentur. Atq; hic est breuissimus epilogus salutis gratiæq; a deo infinita sua misericordia & angelis & hominibus communcatę: quam hoc articulo confitemur. In quo multa sunt, quæ explicauimus supra secundo capite, & quæ explicabimus post insequentibus.

Caput octauum de incarnatione filii dei.

QVI CONCEPTVS EST DE SPIRITU
sancto, natus ex Maria uirgine.

Hic primo hoc catholice fidei fundamento collocato in corde, quod incomprehensibili nobis modo, uere, & perfecte dei filius factus sit homo, sicut est nostrum quilibet, nulla duarum naturarum, diuinæ & humanæ, facta mixtione, sed in uno supposito mirabiliter illis unitis: fidelis iam cogitabit esse hoc incarnationis filii dei summũ excellentissimumq; opus, nõ eorũ solũ, quæ ab ipso sunt facta: sed & oĩm, quæ fieri possunt. Neq; .n. maioris sapiëntiæ, potentiæ, aut bonitatis potest aliquid esse, q̃ deũ sic scire, posse, uelq; seipsum creaturę humanę unire. Neq; est maior distantia, neq; esse potest, quã ipsius dei, & hõminis peccato, æternę damnationi, & miserię afflictioniq; temporal

Quæ subiecti .

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

Subiecti, Huic itaq; uere se deus (quantum fieri potuit) coniunxit, semoto peccato, tam arcta & indissolubili unione, ut sit idē & deus & homo. Quantæ ergo potentia, quantæ sapientiæ fuit, tam distantia, atq; contraria unire! Quam immensæ bonitatis, hominem inobedientem, desertorem, superbum sic amare, sic amplecti, & sic quærere, ut non recuset ob talem homo fieri! Si igitur cætera dei opera merito sunt admiranda: quanta admiratione hoc est dignissimum! quanta consideratione! Hoc certe sanctos omnes in stuporem & extasin adducit. Vnde: domine (ait quidam) consideraui opera tua, & expaui. Et alius: quid est homo, quod memor es eius! aut filius hominis, quia reputas eum! Hoc illos ad ardentissimū amorē dei, feruoremq; spiritus uehementer excitat, cogitantes illud euangelii: sic deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitū daret. Hoc deniq; sic exercet, & sic totos tenet sanctos: ut, cū pro uniuersis suis uirib; cogitantes & extollentes hoc mysteriū, collaudantes, & gratias agentes conati fuerint summę dei bonitati respondere, & suo infimo certe modo satisfacere: tñ tandem fateant deficere se, neq; posse tantū dei beneficiū uel solū cogitare: quemadmodum dicebat sanctus ille seruus domini: memor fui dei, & delectatus sum, & exercitatus sum: & defecit spiritus meus. Anticipauerūt uigilias oculi mei: turbatus sū, & nō sū loquutus. Vide hoc dei op; attētius cogitantes & se in meditatione eius exercentes, quales reddat. Hoc ergo considerans pius & humilis fidelis cum apostolo Paulo humillime genua flectat ad deum & patrem dñi nostrileſu Christi, petens pro se, quod pro omnibus petebat Paulus: ut det sibi deus secundum diuitias gloriæ suæ uirtutem corroborari secundū spiritū eius in interiore homine: deinde etiā Christum habitare per fidem in corde suo: & deniq; in charitate radicatum esse & fundatum. Quæ omnia necessario prærequiruntur, & petenda sunt a deo, ut possit comprehendere Christianus cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum; ac scire etiam super eminentem scientiā

Abac. 3.

Psa. 8

Psa. 143

Ioan. 3.

Psa. 76.

Ephc. 3.

tiæ charitatem Christi. Hoc itaq; ualde nobis est desiderandū: hoc instantibus precibus efflagitandum a deo: ut comprehendamus quanta sit illa bonitas dei, atq; charitatis latitudo, & longanimitas: quam illa potentia immensa, sublimiorq; captu nostro: & quanta sapientiæ illius profunditas: quæ omnia in hoc admirabili opere est uidere: atq; etiam ut sciamus cogitemusq; illam charitatem Christi dei incarnati omnem quoq; angelorum scientiam superare. Cum autem ardentissimo desiderio hæc a deo petierimus: secundo loco attentius est cogitandum, iuxta sanctorum orthodoxorumq; patrum certam firmamq; sententiam, non defuisse deo innumeros alios modos uiasq; reparandi hōem, atq; a peccati diabolicq; seruitute eruen di, si id infinitæ suæ bonitati placuisset: cū & sola uoluntate sua id perficere posset: nec esset qui iuste responderet deo, cur ita facis? immo esset hoc summæ bonitatis opus, gratis homini peccatum, quod in illum peccauerat, cōdonare. *Psal. 50.* Quare: tibi (inquit *Psal.*) soli peccaui, & malum coram te feci, ut iustificeris in sermonibus tuis: hoc est, cum peccatum quodcunq; ideo peccatum sit, quia est contra te: poteris pro uoluntate tua id remittere: nec aliquis te arguere poterit iniusticiæ. Verum, cum tot modis possit hoc fieri: non eum, qui (ut more nostro loquar) primus occurrit, neq; faciliorem, neq; leuiorem elegit deus optimus: sed qui consilio hominem creauerat: faciamus (inquit) hominem ad imaginem & similitudinem nostram: maiori longe atq; altiori consilio eum redemit, eligens ex innumeris illis modis optimum, conuenientissimumq; summæ ipsius sapientiæ, summæq; bonitati. Atq; quod homini utilius, honorificentius, & dulcius ac suauius erat, id existimauit sibi decentius: scilicet honorem suum, gaudium, delicias, atq; gloriam suam reputans, saluare hominem optimo & mirabilissimo modo. *Psal. 110.* Vnde magna (inquit *Psal:* de his loquens) opera domini, exquisita in omnes uoluntates eius. Exquiliuit enim deus accurate, dili-

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

genterq; inuestigauit non mora aliqua aut discursu, sicuti nos, qui paulatim cognoscimus: sed summa incomprehensibiliq; sapientia oīa considerans, exquisiuit & elegit conuenientissimum modū: quo nullus melior in immensa illa suæ potentiae latitudine inueniri posset. Ac quātumuis ipsi deo (si more nostro de eo loqui liceat) deo inquam facto homini is modus esset non difficilis solū, laboriosus, atq; iuxta humanum iudiciū contumeliis & opprobriis plenus: uerum etiā omnīū difficillimus: elegit tamen illum: quia uidelicet homini ille erat saluberrimus. Ob hoc clamat Psal: Venite, & uidete opera dei, Terribilis in conspectu eius super filios hominū. Et Esaias dicit: notas facite in populis adinventiones eius. Adinuenit enim immensa dei bonitas, quæ nulla unquā creatura aut desiderare, aut cogitare posset, hoc est, inscrutabilem & incredibilem modum salutis humanæ, iuxta illud Prophetæ: Opus ego operor: quod nemo credet, cum enarrabitur. Nemo enim posset credere dei opus tā eximium, nisi illius singulari gratia adiutus. Nam quis (ait Esaias) credet auditui nostro? & brachiū domini cui reuelatum est: quasi dicat: quis credet deum fieri hominē, fieri mortalem, passibilem, corporeum, carneum, & uisibilem: ut scilicet nos, qui natura quidē secundū partem quandā corporei sumus, & corporeis egemus mediis ad cognoscenda a mandaq; spiritalia: culpa uero toti carnei, & animales effecti, nō facile a carne auelli patiebamur, aut poteramus: nos (inquā) tales ipse factus homo per carnem illam, uerbis ac operibus corporeis, sed diuinā uirtutem habentibus, ad cœlestia cogitanda desiderandaq; erigeret: tū certissimā sui ipsius cognitionem, fidemq; tradens, iuxta illud: deum nemo uidit unquam: sed unigenitus, qui est in sinu patris, ipse enarrauit: tum etiā uehementer spem nostram corroborans: quod maxime erat necessariū. Quomodo enim homo seipsum cognoscens, se creaturarū dei capacium infimū intelligens, ac deniq; de terra formatū, & uere iuxta corp⁹ terrā se esse uidens:

secun^o

secundum animam uero diaboli seruum, dei inimicum, deformem, & morti maledictus; obnoxium speraret se adoptandum in dei filium, ac se ad regnum cœlestē, & ad dei beatam claramque uisionem & fruitionem admittendum: nisi id sibi tā efficaciter persuaderetur a deo, & nisi deus fieret homo! Iam uero dubitabit ne homo se futurum dei filium, atque participatione quadam deum cum deum hominem uere factum credat! Vnde Ioannes in euangelio: Dedit (ait) eis potestatem filios dei fieri, iis, qui credunt in nomine eius. Atque quasi in huius confirmationem statim subiicit: Verbum caro factum est. Quasi dicat: noli homo diffidere: noli timere: noli dubitare admittendum te ad dei adoptionem. Deus ipse ad te uenit: naturam tuam suscepit, & assumpsit in firma tua: sine dubio daturus tibi sua & fortissima & amplissima. Hoc tibi deus in carne ipsa sua sculpsit, & impressit: ut iam ex membris illis diuinis, magis quam libris, & operibus potius, quam uerbis intelligas deum tibi propitium, atque patrem. Hoc denique modo nostrum ad se amorem atque affectum deus rapit, tantam nobis ostendens mansuetudinem, patientiam, misericordiam, & bonitatem: ut quamuis a nobis fuerit contemptus, atque ob id factus inimicus: non tamen nos deseruerit, neque damnarit, neque tradiderit perpetuæ miseriam, atque inexpiabili perditioni. Misertus igitur temperauit poenam, promisit ueniam, & denique uenit non animas perdere, sed saluare. Venit, n. (ut Paulus ait) Christus Iesus in hunc mundum, peccatores saluos facere. Venit autem factus homo, & in similitudinem carnis peccati, quasi ad amicos & fideles seruos, & quasi ad fratres, factus & ipse frater & caro nostra. Cuius ergo animus tam tepidus, & frigidus erit in dei amore, quam non inflamet tantam diuine benignitatis cogitata dignationem! Nam ignem (ait ipse dei filius) ueni mittere in terram, hoc est, ignem charitatis & amoris. Et quod uolo, nisi ut ardeat! Neque uero hoc opus utcumque et quouis ordine fecit deus: sed tam accurate, perfecte, & uere: ut non humanam naturam solum,

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

Heb. 2.
2 Cor. 8
 solum:quam poterat iam perfectam atq; integram, a deoq; ipso
 formatam, neq; propagatam ab homine, in qua uerus esset ho-
 mo: sed eam etiam secundum modum nostrum, infirmam, paru-
 uam, tenellamq; suscepit: factus non tantum homo: uerum fi-
 lius quoq; hominis, & filius Adam, atq; ex eius genere & semine
 descendens, paruulus etiam, infirmus, infans, moras illas nas-
 cendi, crescendi, fragilitatesq; consequentes sustinens, & deniq;
 (ut Paulus ait) per omnia fratribus assimilatus: immo non assi-
 milatus modo, sed ualde quoq; infra omnes humiliatus & deie-
 ctus propter nos. Quare cum diues esset (ait idem Paulus) ege-
 nus factus est, ut illius inopia diuites essemus. Vnde confite-
 mur non hominem tantum, sed conceptum etiam atq; natum
 ex Maria uirgine. Vbi naturalem infirmitatem, & superaddi-
 tam paupertatem ac humilitatem suæ natiuitatis & infantie ec-
 clesia nobis ostendit. In quibus omnibus supra omnem modū
 suam & demonstrat, & exercet bonitatem. Ac nostram etiam su-
 perbiam damnans & curans, humilitatem uero docens & com-
 mendans, clamat iam operibus magisquam postea uerbis: di-
 scite a me, quia mitis sum & humilis corde: & nisi conuersi fueri-
 tis, & efficiamini sicut paruuli: non intrabitis in regnum cælo-
 rum. Etenim initio statim aduentus sui, principium perditio-
 nis nostri fuisse superbiam ostendit, atq; efficacissima contra
 eam apposuit remedia, suam scilicet ipsius nascentis & paru-
 uuli infantiam ac humilitatem: quicumq; (dicens) humilia-
 uerit se, sicut paruulus iste, hic maior est in regno cælorū. Atq;
 hoc loco diligenter meditare tū infirmitates humanas, quas in
 uita sustinuit, fessus, sitiens, esuriens, somno egens: tum diuinæ
 uirtutis opera & mirabilia, quæ fecit. His enim duobus tota
 Christi uita plena est. Sed iam ad mortem eius ueniamus.

Caput nonum de passione & morte Christi,

Passus

PASSVS SVB PONTIO PILATO,
crucifixus, mortuus, & sepultus.

Vlde gradus, quibus ecclesia a spiritu sancto edocta nobis
 explicat hoc mysterium. Primū enim inquit: Passus: quod
 uerbum generale est, & ponitur apud Matheum, sic de Christo *Mat. 16*
 scribente: cepit ostendere discipulis suis, quia oporteret eū ire
 Hierosolymam, & multa pati a senioribus. Tum addit specia-
 lius uerbum: crucifixus: hoc est passus crucem, atq; extremos do-
 lores, & contumelias. Hæc enim omnia continebat crux. Tum
 adiungit: mortuus. Non enim satis illi fuit crucifixum esse: sed
 neq; fuit se a cruce tolli, neq; uoluit de ea descendere, quantum
 uis contumeliose dicerent inimici: si filius dei est, descendat de *Mat. 27*
 cruce; donec in ea inclinato capite, expirauit. Postremo adicit: *104. 19*
 sepultus: quod ad ultimam deiectionem corporis attinet: ad
 quam peruenit Christus, terra conditus, ac sententiæ dei in
 Adam subditus: donec reuertaris (dicentis) in terram, unde as- *Gene. 3*
 sumptus es. Sic igitur erant tantæ charitatis, ac tanti mysterii
 opera explicanda. Sic nobis commendanda dei & hominis pas-
 sio, crux, mors, & sepultura: quæ magna cura, uti cœlestem
 thesaurum animis nostris custodire oportet. Ob ea enim no-
 bis impassibilitas, gloria, uita, & cœlum reddita sunt a Christo
 domino. Primum igitur passus sub Pontio Pilato dicitur. Quod
 sic in genere dictum est: quoniam non unam, aut alteram Chri-
 stus dominus passionem subierit, sed absq; numero & termino
 uisus sit oēs in se passiones collectas pertulisse. Fuit enim mul-
 tiplex & magna instar maris ea Christi passio. Etenim passus *Thren. 2*
 est nō corpore solum: sed (quod multo grauius est) anima etiā
 ipsa, extremas tristitias, atq; extremos timores sustinens. Nam *Mat. 26*
 tristis (ait ipse) est anima mea usq; ad mortē. Atq; præ hac tristi-
 tia scribit Lucas, eū factum in agonia, guttas sanguinis ad ter- *Luc. 22*
 ram

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

ram usq; defluentis emisisse. Item non uno, aut altero sensu, aut membro corporis: sed omnibus membris, & omnibus sensibus passus est. Toto namq; flagellatus est corpore, capite coronatus spinis, transfixus manibus pedibusq;, & omnibus membris distentus, ac conuassatus fuit: ut uere uiderimus eum iuxta uaticinium Esaiæ, uirum dolorum, & scientem infirmitatem. Item non in animo solum, & corpore passus est tormenta: sed etiam in famam & honorem, tum contumelias, iuxta illud: contumelias enim multorum audiui & terrorem in circuitu; tum derisiones, & opprobria: quemadmodû sic ab eodem propheta scriptum est: factus sum in derisum tota die: oës subsannabant me; et deniq; blasphemias: de quibus ita in Psalmis scribit: aduersus me loquebant, qui sedebant in porta. Item passus est in amicis, in discipulis, & credentibus. Ac postremo, ne quid deesset, ab omniû conditionû, statuum & sexuum hominibus passus est.

Esai. 53. Conuenerunt namq; principes: astiterunt reges: fremuerunt populi: ancillæ, serui, & proprii etiam familiares ac domestici aduersus Christum dominû cucurrerunt. Qua certe multiplicis passionis uniuersitate peccatorum nostrorum uniuersitati satis fecit. In multis enim offendimus omnes: peccantes scilicet omnibus corporis partibus, & rebus omnibus. Nihil namq; in nobis est, aut circa nos: quo non ad peccata abutamur: ut oculis, auribus, manibus, pedibus, & toto corpore: itē amicis, famulis, sanguine iunctis, atq; adeo ipsa etiam fama, & honore. Hæc igitur malorû nostrorû abyssus, abyssum hanc profundissimę miserationis & satisfactionis inuocabat. Vere itaq; languores nostros ipse tulit: dolores nostros ipse portauit. Nā nullû potest in nobis inueniri malû, nullaq; corruptio: cui speciale antidotû datû non inueniamus a Christo. Etenim si lingua palatoq; delinquimus: felle & aceto potatus est. Si manibus pedibusq;: & hos transfigendos tradidit. Si prauis corruptisq; cogitationibus: capitis sui spinis eas deleuit: uulnerat, propter iniquitates nostras, attritus propter scelera nostra; disciplina pacis nostræ

Hier. 20.
Psal. 68.
Psal. 2.
Iacob. 3.
Esai. 53.
Esai. 53.

super eū: atq; liuore eius sanati sumꝰ, Sanati (inquā) sumus uul-
 neribus eius pro nobis in cruce exaltati. Nam ait ipse: ego si ^{104. 26}
 exaltatus fuero a terra: omnia trahā ad me ipsum, Porro morte
 eius mortui peccatis, mundoq; sumus. Mortui, n. estis, ut Pau- ^{Rom. 6}
 lus ait baptizatis: sepultura scilicet absconditi a conturbatione
 hominū & uanis desideriiis. Consepulti. n. estis (quemadmodū
 idem dicit) per Baptismū in mortem. Est uero hæc Christi pas-
 sio atq; mors nō credenda solū, sed assiduo etiam cogitanda, &
 præcipuo affectu amanda: quā imitatione quoq; profèqui oportet:
 ut in quā tum omniū uirtutū exempla, atq; ea eximia sit in-
 uenire, quæ ad rectum earū usum mouere nos possint: tum etiā
 omnium difficultatum atq; aduersorum remedia, & omnia, quæ
 ad studiose atq; iuxta Christi doctrinam uiuendum necessaria
 sunt, liceat uidere, ac inde colligere. Cogitatione igitur eius, at-
 que affectione mundamur a peccatis; efficiamur deo grati: & cha-
 ritate bonisq; operibus replemur. Ac omniū horū, quæ diximꝰ,
 sunt in scriptura sacra innumera, certissimaq; testimōia. Namq; ^{1. Pet. 2}
 ait Petrus: Christus passus est pro nobis: uobis relinquens exem-
 plū, ut sequamini uestigia eius. Et Christꝰ ipse: sicut Moyses (in ^{104. 36}
 quit) exaltauit serpentē in deserto: ita exaltari oportet filium ho-
 minis: ut omnis, qui credit in ipsum, nō pereat: sed habeat uitā
 æternā. Quibus uerbis aperte ostendit esse nos oēs in hoc sæcu-
 lo in medio scorpionum & serpentū ignitorū, hoc est, in medio
 peccatorū, tentationū, atq; insidiarum diaboli: nec posse diu hic
 uiuere sine infectione ueneni horū serpentum: quod profecto
 & mortem afferet animis: nisi assidua deuotaq; huius serpentis
 ænei, hoc est, huius in similitudine carnis peccati crucifixi salua-
 toris consideratione atque affectione sanemur. Vnde & Pau- ^{Heb. 12}
 lus: per patientiam (clamat) curramus ad propositū nobis cer-
 tamen: aspicientes in authorem fidei & consumatorem lesam:
 qui proposito sibi gaudio sustinuit crucē, omni confusione con-
 tempta. Est namq; in medio ecclesiæ uerissime crux hæc & passio

INSTITVTIONIS CHRISITIANAE

- Gen. 3.** saluatoris, lignum uitæ in medio paradisi: ex quo uitam omnes sumamus, atque salutem: quod beatus Ioannes in Apocalypsi significans: Beati (inquit) qui lauant stolas suas in sanguine agni: ut sit potestas eorum in ligno uitæ. Vides quod perspicue sanctus Ioannes significet uitam nostram, quæ ex se satis est immunda & multis respersa maculis, atque opera nostra, cogitationes, & cætera omnia frequenti memoria sanguinis Christi pro nobis effusi lauanda esse: ac ipsa iugi meditatione fieri nobis potestatem in ligno uitæ: a quo innumera nobis bona promanant: quæ, uti fructus suauissimæ arboris, colligenda sunt nobis, primum hac fide ipsius. Inter cæteras uero de hoc tam ineffabili mysterio mirabiles considerationes, quas sanctissimi uiri, suggerente ipso spiritu Christi & cogitarunt, & scriptis nobis tradiderunt: unam accipe: qua inuiteris saltem, atque traharis ad illius fidelissimum amorem, & piissimam meditationem. Duo erant inter cætera ad salutem homini ualde necessaria: atque ea tam diuersa inter se, ut contraria uiderentur. Quorum primum erat: ut, quantum deus oderit peccatum, quamque illud graue sit, atque homini fugiendum, cognosceremus. Est enim salutis initium nobis cognitio peccati, atque illius detestatio, & horror factus non quouis modo, sed totis uiribus, & conatu nostro, & ut dignum est dei offensas atque peccata horrere. Secundum uero æque nobis necessarium ad salutem erat: ut de diuina misericordia atque bonitate uehementer speraremus, nos consequuturos salutem, ueniam, atque remissionem peccatorum. Hæc autem duo sic simul requiruntur, ut alterum solum perditio sit. Nam Cain, satis peccati grauitatem cognouit: uerum, dum nimium huic cognitioni inhæsit, lapsus est in desperationem: Maior est (inquiens) iniquitas mea, quam, ut ueniam merear. Ac quis non terreatur, & quis non iam desperationi sit proximus, summam dei bonitatem, atque potentiam sibi esse offensam, sibi iratam, & a se contemptam agnoscens, atque ingratum

tum benignissimæ dei beneficentiæ se fuisse cogitans? quomo-
 do id sustinebit pusillus homo? Rursum, si diuinæ solum boni-
 tatis largitatem spectemus, in nimiam securitatem, & peccati
 contemptum incidimus: atque (ut Paulus inquit) diuitias boni-
 tatis dei, & patientiæ, & longanimitatis contemnentes, thesau-
 rizamus nobis iram. Vide miseriam, cæcitateq; nostram. Pri-
 mum, n. facile peccamus: pro nihilo ducimus dei offensas: mi-
 nimæ delectationi cedimus, atque ea trahimur ad peccatum,
 leuitate misera certe & magna animi instabilitate. Deinde uero
 cum peccati grauitas nobis a deo, & a scriptura incipit aperiri,
 deusq; clamat: Adam ubi es? quid fecisti? ac deniq; cum dei insta-
 re iudicium per sentimus: nihil aliud superest nobis, quam de-
 speratio: quod primo nostro parenti accidit: & nos quoq; quo-
 tidie admittimus: cum tamen id, uel ipsa experientia docente,
 uitare maxime deberemus. Ille igitur primum leuitate quadã
 atque animi securitate parum id considerans, pro minima &
 forte nulla delectatione deliquit: quod cum sero deinde cepis-
 set aduertere, abscondebatur se. Debuit itaque primû homo do-
 cere de peccati immensa ac supra omnem humanum captum
 grauissimâ peruersitate, atque de iusticiæ diuinæ in ipsum ira,
 acerbitate, & furore. Deinde immensæ bonitatis atque miseri-
 cordiæ dei certos nos fieri oportuit. Hæc ergo duo solitus est
 deus multis & uerbis, & operibus ostendere: quæ diuersa inter
 se etiam uidebantur, & ualde opposita dei iusticiæ. Etenim to-
 tius humani generis subiectio morti & æternæ miseriæ prop-
 ter unius transgressionem, totius mundi paucissimis exceptis
 hominibus per diluuium perditio, ignis Sodomam & Gomo-
 ram deuastans, atque huiusmodi dei seuerissima iudicia pluri-
 mum terrebant homines. Contra dei benignitas, & expectatio
 illa, qua & peccatores sustinebat in multa patientia, ut Paulus
 inquit, & remittebat peccata, ualde hōes consolabant. Cæterû
 utrunq; neq; satis homini persuasum erat, neq; satis commen-

INSTITVTIONIS CHRISITIANAE

Pfal. 24. datum. Nam licet iam ante Christi passionem Psaltes dixisset: Vniuersæ uia domini misericordia & ueritas: nec unquã deus iusticiam sine misericordia exercuisset, aut misericordiam sine iusticia fecisset: pauci tamen id intelligebant: uel plus nimio præsumentes, & contemnentes peccata, uel diffidentes animo: Inuenit ergo salutis nostræ auidissima dei bonitas admirabilem, atque prorsus inexcogitabilem uiam: qua quantum fieri poterat, tum grauitatem humanæ culpe, atque iræ suæ in illam acerbicatem: tum misericordiam: & gratiam in remittendis peccatis ostenderet: atque utrunq; eorum sic uniuert, ut neutrum sine altero apparet: immo alterum ex altero planius demonstraretur. Quomodo enim in peccata iræ grauitas, & magnitudo melius cognosci poterat, quam cum peccata non propria, sed aliena in dilectissimo filio, homineq; sibi gratissimo lesu tam acerbè puniuit? quem tanto rigore iudicauit, ut eum summis doloribus, morteq; omnium acerbissima pro peccatis nostris plecti pateretur: propter scelus (inquiens) populi mei percussu illu: neq; proprio filio suo, humili, & precanti ignosceret, ut Paulus inquit. Verissime igitur clamat Christus apud *Thren.* 1. Hierè: O uos omnes, qui transitis per uiam, attendite & uideate, si est dolor similis, sicut dolor meus. Vere enim nemo unquam in hac uita tam graues dolores & animæ & corporis sustinuit. Lege ergo o Christiane in Christi corpore crucifixo, dei iram in peccata: lege peccatorum grauitatem: assiduo meditans illud: quod ipse acerbissimis doloribus dilaniatus, atque ad contumeliosissimam mortem crucem humeris portans, dicebat: Nolite flere super me, sed super uos ipsas: quia si in uiridi ligno hoc actum est: in arido quid fiet? Si ergo pater proprio filio suo non pepercit: cui parcat? Si proprio filio patienti pro nostris peccatis horrendum fuit incidere in manus patris: quantum nobis peccatoribus est ira dei timenda? quantum fugienda: uerũ ne desperes o homo: immo ne aliunde quæras cognoscere

Esa. 53.

Roma. 8.

Thren. 1.

Luc. 23.

scere dei immensam clementiam, & bonitatem admirabilem; uide eam simul hlc descriptam. Nam ut te redimat, & tibi parcat, non parcat filio: sed illum pro te morti acerbissimæ tradit. Quo alio ordine tibi efficacius posset deus persuadere spem remissionis, atque gratiæ suæ? Graue quidem est peccatum: sed excellit dei gratia, superatq; omnem maliciam: satisfactum est dei iusticiæ pro omnibus peccatis non solum nostris, sed etiam totius mundi: ipse deus sibi satisfactionem parauit: ipse sibi illam quæsiuit. Neq; uero potest aliquid durius in peccati punitionem & uindictam fieri: nec rursus maior dei amor ostendi hominibus (Maiorem enim charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis) neq; illis spes salutis efficacius persuaderi: quod dignissimis uerbis perpetuoq; memoria & animo tenendis Paulus ostendit, ita scribens: Vt quid enim Christus cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est: uix enim pro iusto quis moritur. Nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem charitatem suam deus in nobis: quoniam, si cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est. Multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus deo per mortem filii eius: multo magis reconciliati, salui erimus in uita ipsius. Sit ergo passio saluatoris speculum incomparabilis & inexcogitabilis charitatis, simulq; iusticiæ incredibilis exemplum: atq; hæc fide sincerissima assiduo meditetur.

1. Ioan. 12

Ioan. 15

Rom. 5

Caput decimum de descensu ad inferos.

DESCENDIT AD INFEROS.

Hoc

INSTITUTIONIS CHRISTIANAE

Hoc est ultimum humanae poenae pro peccato primi hominis omnibus mortalibus, non tamen ipsi domino impositum: ultimum (inquam) & executione & gradu. Nec enim dei iustissimae seueritati suffecit, hominem in uita laboribus, erumnis, sudoribusque subicere, ac deinde morti, atque sepulturae, & incinerationi illius corpus tradere; sed ipsi etiam animae, quam uis iustae & sanctae non solum imposuit exilium a regno usque ad Christi passionem, sed carcerem etiam, locumque indignum quidem sanctis, si sanctitas ipsorum spectetur, dignum uero filiis Adae & filii praeuaricationis designauit, quo tenerentur: locum (inquam) infimum, tenebrosum, & in ipsis terrae intimis uisceribus conditum. Quod non erat absque ipsarum animarum incommodo, nonnulloque dolore, atque tristitia; quam tamen consolabatur, & mitigabat spes certa consequendi salutem a domino. Quo certe deus se peccati maximum inimicum, & uindicem seuerissimum ostendit, charorum sibi atque gratissimorum animabus non parcens, quas molestissimo hoc carcere detinebat, adeoque diuturno tempore: ut earum nonnullae duobus, tribus, quatuorue annorum millibus in eo permanserint: quod satis Iob deplorabat: in profundissimum (inquiens) inferni descendit omnia mea. Putas ne saltem ibi erit requies mihi! quasi diceret: non utique requies esse potest animae, quae solum deum diligit, & quae eum rebus omnibus praeposuit, extra eum, & extra illius uisionem, atque caelestis suae habitationis domum. Sustinebant tamen id sancti humiliantes se: atque iustitiam dei uindictam hanc esse confitentem, expectabant, & instantius petebant eam finiri. Nam Dauid: usquequo (ait) domine auertis in finem: exardescet sicut ignis ira tua! Memora re, quae mea substantia; nunquid enim uane constituiisti omnes filios hominum? Quis est homo, qui uiuet, & non uidebit mortem, & eruet animam suam de manu inferi: ubi sunt misericordiae tuae antiquae domine? fatetur itaque sanctus Pfalteris iuste omnes

Iob. 17.

Psal. 88.

nes

nes hoc pati : sed misericordiam inuocat, uirtutemq; diuinam: ubi sunt (inquiens) misericordiae tuae antiquae domine! & nunquid uane constituisti omnes filios hominum! ubi hoc etiam sciendum est, diuinam sapientiam & prouidentiam ordinem quendam spirituum adinuenisse & statuisse ad loca, secundum suae incomprehensibilis sapientiae dispositionem iuxta gradus perfectionis atq; bonitatis spiritualium, gradus locorum designantē. Hinc angelos a caelo creatos fides tenet: ac malos quidem inde deiectos: sicut ait Christus: Videbam Satanam, sicut fulgur, de caelo cadentem: bonos uero ibi fuisse confirmatos: *Luc. 10.* ut testatur idem Christus, de paruulis ita loquens: Angeli enim eorum in caelis semper uident faciem patris mei. Quem locum etiam beatis animabus nunc, antequam corpora secum habeant, deus quoq; dedit: ac (quod plus est) ipsum hoc caelum, quod sancti Empyreum uocant, sibi ipsi specialiter reseruauit: in quo se beatis omnibus est ostensurus. Vnde Dauid: dominus (ait) in caelo sedes eius. Et rursus: caelum caeli domino. Quod quam uis de spiritualibus firmamentis non negemus posse intelligi: uerum asserimus cum ecclesia sanctisque omnibus de loco corporeo, lucido, eminenti, atq; a mutabili hoc nostro habitaculo longe altissimo intelligendum: quem sibi atque beatis designauit solum deus: & de quo dicit suis in euangelio: Ecce enim merces uestra multa est in caelo: & rursus de beatis ait: erunt sicut angeli dei in caelo. Neq; uero angeli, alii ue spiritus, & multo minus deus ipse noster, spirituum pater, eget loco continente, aut sustentante: qui omnia & continet & sustentat. In ipso enim uiuimus, mouemur, & sumus. Immo fieri non potest, ut corporeus locus tangat, circumstet ue spiritum incorporeum. Nec enim spiritus longus est, aut rotundus, aut alia figura extensus: sed est in se ipso, non egens fulcimento, aut corporea mansione. Verum deus mirabili sapientia sua diuersa loca dignitate atq; differentia constituit: ubi spiritus secundum suam sub-

INSTITVTIONIS CHRISITIANAE

Luc. 1. 6

Deu. 32.

stantiam uere essent ad decentiam quandam, atque totius uniuersi decorem & unionem, ac ueluti concatenationem omnium creaturarum. Quamuis enim corporeis locis corpora sola egeant, uereq; omnia corporea propter indigentiam hominis sint creata: noluit tamen deus angelos spiritusq; a corporibus his omnino alienos esse: sed eos tanquam unius & eiusdem patris familias domesticos uoluit cum hominibus atque corporibus aliquid habere commune: ut essent quidem spiritus in certo loco suæ dignitati atq; operi proportionato: ex eo uero operarentur in alia. Hinc demonibus locum terræ infimum & obscurum, tanquam carcerem foetidum, & seruis infidelibus dignum deus deputauit: hinc etiam in euangelio diues sepultus esse dicitur in inferno: & per Moysen dicit dominus: ignis succensus est in furore meo, & ardebit usq; ad inferni nouissima: ut uidelicet ipsa loci obscuritas & infima submissio (taceo nunc cetera alia) sint quoq; seruis superbis & infidelibus pœna. Angelis uero & beatis congruentem etiam locum, eminentissimumq; & pulcherrimum designauit, ipsa quoq; altitudine eos honorans: ut scilicet sublimitati gloriæ eorum respondeat sublimitas loci. Hominibus autem in uita agentibus hunc locum medium & situ & cæteris omnibus contulit: ubi lux & tenebræ, labor & ocium, gaudium & tristitia adsunt. Decedentibus uero hinc animabus, quæ nec omnino inferno sunt dignæ, nec cœlo etiam peccato aliquo impediente sunt recipienda, duo loca statuit infra hunc medium: in quorû altero purgentur, si adhuc maculis peccatorum sordeant: in altero uero ante Christi passionem animæ iam purgatæ manebant: ubi quasi in carcere inclusæ expectabant commune illud impedimentum tolli: quæ quidem sola indignitate loci (prætereo dilationem gloriæ) puniebantur a deo, iustissime uindicante in omnibus posteris primam illam offensam hominis. Quemadmodum ergo summa erat hæc diuina maledictio, & ira dei in homines, atq; summa deiectio

deiectio ipsorum: ita summum et singulare fuit etiam hoc opus
 condescensionis Christi, & humiliationis propter nos. Sicuti
 enim non satis fuit dei benignissimæ charitati nos ab erumnis,
 atque laboribus in pœnam ab ipso impositis liberare: sed uo-
 luit etiam homo factus, labores hominis atq; miseras omnes
 sustinere: sic etiam mortem subiit, & sepulturam: & quidem
 tandem in locum ipsum inferni descendere non abhorruit:
 non quidem in infimum illum & obscurissimum: ubi sunt
 damnati: neq; in illum alium, qui parum infimo creditur esse al-
 tior: ubi manent purgandi: sed in illum, qui primus existit, al-
 tiorq; cæteris: ubi sancti iam, deoq; digni, solo communi illo ob-
 staculo impediente eos intrare in cœlû, custodiebantur. Illuc
 ergo descendit Christus: atq; illuc toto illo tempore, quo cor-
 pus fuit in sepulchro, mansit: sicut cæteri sancti, qui ibi mane-
 bant: non tamen omnino simili modo. Illi enim manebant ne-
 cessitate: Christus uero sola uoluntate mansit: scilicet inter
 mortuos (ut inquit Psal.) liber. Nam ut mortuus est nulla ne-
 cessitate, iuxta illud: nemo tollit a me animam meam: sed ego
 pono eam: sic descendit in infernum dignatione & uoluntate:
 passusq; est illam loci indignitatem, & humilem deiectionem:
 qua alii digni erant, non ipse. Sicut enim nec mortis lege tene-
 batur astrictus: & tamen eam subiit: ita uoluntarie illuc de-
 scendit, deferens etiam gloriam suam secum, nempe diui-
 nitatem: quam illuc clare uidere, & ea frui dedit sanctis il-
 lis patribus: quemadmodum foelici illi latroni dixit: hodie
 mecum eris in paradiso: faciens certe ex inferno paradysum,
 & ex carcere regnum. Ipse igitur exaltauit illos, humiliatus lo-
 ci indignitate. Qua humiliatione acquisiuit sibi, & multo ma-
 gis nobis exaltationem. Nam, ut Paulus ait, descendit primû in
 inferiores partes terræ: atq; ideo, qui descendit, ipse est qui
 ascendit. Quare & hunc descensum inter Christi passiones
 & merita connumerat sacra scriptura: atq; ab illo sicut ab

Psal. 87

Ioan. 10

Luce. 23

Ephes. 4.

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

aliis tormentis, morteq; ipsa petit in Psalmo quodam Christus dominus liberari: ac de liberatione gratias deo patri agit: Domine (inquiens) eduxisti ab inferno animam meam: saluasti me a descendens in lacu. Et rursus: Propter hoc (inquit) letatum est cor meum, & exultauit lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spe: quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis, &c. Ac beatus Petrus: quem deus (ait) suscitauit a mortuis solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. Itaq; aperte Petrus dicit impossibile fuisse Christu ibi teneri: & tamen dominus benignissimus illuc descendere uoluntate sua sustinuit: ostendens scilicet hac charitate suis amicis, quod uel extreme humiliatos eos non deseruerit. Ac quanq; dubium non est uirtute passionis Christi oēs inferos penetrasse. Tremuerunt enim oīa illa loca. Verum in hoc sanctorum patrum carcere domini anima diuinitati coniuncta mansit. Vnde & de sapientia scribitur: Penetrabo omnes inferiores partes terræ: & inspiciam omnes dormientes: & illuminabo omnes sperantes in domino. Vides quomodo ad omnes mortuos & ad inferna omnia, uirtus ac cognitio eius se extendant. Nam omnes (inquit) inferiores partes terræ penetrabo: & omnes dormientes inspiciam. Verum illius illuminatio (quæ utiq; præsentia sua facta est) uenit ad solos sperantes in domino, ac ad solos eos, qui in iusticia, atque spe eius mortui sunt, quiq; usq; ad horam illam ita manebant. Iam autem a morte, sepultura, & inferno ascendamus ad resurrectionem exaltationemq; Christi.

Caput undecimum de resurrectione Christi.

TERTIA DIE RESVRREXIT
a mortuis.

Tribus

TRibus præcedentibus articulis, humiliationem Christi, atque eius humiliationis causam considerauimus ac tractauimus: quæ certe Christo neq; qua dei filio, neq; qua homini: sed nobis ipsis omnino conueniebant, iam autem exaltatio, gloriaq; corporis eius est cogitanda a nobis: quæ in resurrectione incepit: quã tertia a morte die factam confitemur: primũ, ut uera eius mors ostenderetur omnibus, contestante spiritu in cruce emisso, contestantibus iis, qui deposuerunt de cruce, condieruntq; sacrũ corpus, & deniq; contestante sepulchro, atque tempore ipso, quo mortuus permanfit, Morte ergo iam ostensa, passio neq; peracta impleuit, quod dixerat, de se ita loquens: *Mat. 20.*
 tertia die resurget: & soluite templũ hoc, & in tribus diebus excitabo illud: & sicut fuit Ionas tribus diebus, & tribus noctibus *Ioan. 2.*
 in corde terræ: ita erit filius hominis. Surrexit enim tertia die a morte illucescente ipse uerus sol: a quo sol hic corporeus lumen habet: surrexit noua luce splendidus, ac noua gloria refulgens: surrexit deniq; propria uirtute, non ab alio resuscitatus, neq; alterius uirtute egens. Erat namq; deus: de quo scriptũ est: *Mat. 12.*
 mortificat & uiuificat: deducit ad inferos, & reducit. Ac erat etiã homo omnipotens, supra totam naturam habens potestatem. *1. R. c. 2.*
 Omnia enim ei dedit pater in manus. Vnde dicit ipse: *Ioan. 13.*
 nemo tollit a me animam meam: sed ego pono eam: & iterum sumo *Ioan. 10.*
 eam. Quod nos quoq; significamus, cum dicimus: resurrexit, non suscitatus est. Quare merito mors ipsa domini somnus dicitur in scriptura sacra. Quemadmodum enim in dormiente uirtus manet, qua excitare se possit: sic & in Christo domino mortuo. Vnde Catulus Leonis (inquit Iacob) Iuda: ad prædam, *Gen. 49.*
 fili mi, ascendisti: requiescens accubuisti ut leo, & quasi leona: quis suscitabit eum: ubi aperte ipsa passio Christi, & ascensus in crucem, effectusq; illius ostenditur. Namq; ad prædam (inquit) *Colof. 2.*
 ascendisti: hoc est, ascendisti in crucẽ atq; in altum ad prædam agendã de demonib9, & de peccatis. Nã (ut Paulus inquit) spo-
 S iiii lians.

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

lians principatus & potestates traduxit confidenter palam,
 triumphans illos in semet ipso. Mors item ipsa aptissime expli-
 catur, cum dicitur: requiescens accubuisti, ut leo. Emissa, n. ma-
 gna uoce expirauit: & inclinato capite, ut leo accubuit. Resur-
 rectio postremo propria uirtute futura significatur, cum addit:
 Quis suscitabit eum? Quasi dicat: nemo certe: sed ipse semet est
 suscitaturus. Itaq; ait David, sine dubio in hoc illius figura: ego
 dormiui, & soporatus sum: & resurrexi. Neq; uero resurrexit so-
 lum Christus: sed resurrexit etiam ad immortalem uitam, & im-
 passibilem: resurrexit gloriosus, & primitiae dormientium,
 ut scripsit Paulus. Nec enim usq; ad eum aliquis surrexerat a
 morte liber: sed ipse omnium primus morte deuicta, immorta-
 litatis uiam aperuit: quam nobis primus Adam pracluserat.
 Christus, n. (ut ait Paulus) resurgens ex mortuis iam nō mori-
 tur: mors illi ultra non dominabitur. Quare merito idem alias
 dicit: Sicut in Adam omnes moriunt: ita in Christo omnes ui-
 uificabuntur. Est autem hac Christi resurrectio magnae iocun-
 ditatis, magnaeq; consolationis piis omnibus in aduersis, in do-
 loribus, & in morte ipsa pro deo sustinenda. Apparet enim deū
 remuneratorem esse eorum, qui pro eō patiuntur: uitamq; eis
 posse restituere, qui eam pro ipso perdere non uerentur. Hinc
 namq; Christus dominus in euangelio de uita contemnenda
 propter deum: Qui odit (inquit) animam suam in hoc mun-
 do, in uitam aeternam custodit eam: & rursum: si granum (ait)
 frumenti cadens in terrā, mortuum fuerit: multum fructum af-
 fert: & iterū: Nolite timere eos, qui occidunt corpus: atq; alibi:
 Capillus (inquit) de capite uestro non peribit. Quam aperte
 hac nobis non solum sunt ostensa in Christo: sed etiā ab eo ex-
 hibita? Est enim ipse caput nostrum: nosq; illius membra. Ac
 iam uidemur etiam in aduersis, morteq; ipsa nos resurrexisse:
 cum Christum resurrexisse spectamus: clamantes cum Psaltes:
 quid multiplicati sunt, qui tribulant me? multi insurgunt ad-
 uersum

Psal. 3.

1. Co. 15

Rom. 6

1. Co. 15

Ioan. 12.

Mat. 10.

Psal. 3.

uersum me: tu autem domine susceptor meus es, gloria mea,
 & exaltans caput meum. Quare Christus ipse quatenus homo, Psa. 29.
 patrem pro resurrectione orans, dicit: Ad te domine clamabo:
 ad deum meum deprecabor. Quæ utilitas in sanguine meo:
 dū descendo in corruptionem! Vere enim ipsa passio Christi
 & ipsa mors inutilis esset, nisi Christus resurrexisset. Primum, quia
 facile contemneret: sicut alia, quæ necessitate euenerunt san-
 ctis: Deinde quia nemo esset, qui eam imitari, & sequi aude-
 ret, si ipsum filium in morte a patre derelictum uiderent homi-
 nes. Nunc autem cum Christus iam resurrexerit: apparuit
 atq; ostensa est dei iusticia in laboribus pro ipso sumptis remu-
 nerandis: ac omnia, quæ pro deo pati quis potest, aut aduersa,
 quæ euenire alicui poterunt, dulcissima sunt existimanda. Ver-
 bera namq; uincula, alapa, opprobria, & mors dulcedine hac
 resurrectionis Christi condita, suauissima existunt. Hinc Ste-
 phano lapides ualde dulces fuerunt: & Laurentio craticula.
 Quis enim non libenter una cum Christo compatiatur, ac
 commoriatur! illud scilicet Pauli animo uoluens: quod si spi- Rom. 8
 ritus eius, qui suscitauit Iesum a mortuis, habitat in uobis: qui
 suscitauit Iesum Christum a mortuis, uiuificabit & mortalia
 corpora uestra propter inhabitantem spiritum eius in uobis:
 item illa paulo post sequentia: spiritus testimonium reddit spi-
 ritui nostro, quod simus filii dei. Si autem filii, & hæredes: hære-
 des quidem dei: cohæredes autem Christi: si tamen compati-
 mur, ut & conglorificemur. Est ergo iam uerissime mors ui- 1. Co. 15
 cta, atq; a dominio mundi eiecta: ut libeat clamare cum Paulo:
 si Christus resurrexit, & nos resurgemus. Si autem non resur-
 rexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides uestra.
 Nunc autem Christus resurrexit a mortuis primitiæ dormien-
 tium. Quoniam quidem per hominem mors: & per hominem
 resurrectio mortuorū. Vbi ergo est o mors uictoria tua! Quod
 quidem conuenientissima ratione atque ordine admirabilis
 dei

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

dei prouidentia impleuit: ut genus humanum a prima illa uita
 tute non moriendi lapsum in necessitatem moriendi, releuaret:
 additis etiam pluribus gratiis, atq; immortalitatis impassibilita
 tisq; dotibus, per Christum scilicet hominem unitum uerbo
 dei: quod sine dubio fons est uitæ, uitaq; ipsa: ita dicente ipso
 Ioh. 1. 1. Christo in euangelio: Ego sum resurrectio, & uita. Iustum ergo
 hoc erat: ut natura illa humana uitæ unita ac fonti perenni
 coniuncta, primum hanc uitam participaret, ac reciperet: dein
 de uero aliis communicaret. Aperte igitur declarauit Christi re
 surrectio, uitam dei ita esse fortem & immensam: ut mortem no
 stram posset superare, ac deicere. Quare mortem suscepit Chri
 stus, susceptamq; diuicit. Quemadmodum enim, si gutta fellis
 immensæ dulcedini, aut dulcedinis mari misceatur, breui tem
 pore diluitur, euanescit, atque in dulcedinem ipsam transit: sic
 omnino mors, quæ nostra erat amaritudo, dulcedini diuinæ ui
 tæ ammixta, debuit euanescere, atque dulcescere. Merito ergo
 Ioh. 1. 1. iam Christo credimus, dicenti: qui credit in me, etiam si mor
 tuus fuerit, uiuet: et omnis, qui uiuit, & credit in me: non mor
 rietur in æternum: ac rursum: si quis sermonem meum serua
 Ioh. 8. uerit, mortem non uidebit in æternum: & alibi: omnes, qui in
 Ioh. 5. monumentis sunt, audient uocem filii dei: & qui audierint, ui
 uent. Sicut enim pater habet uitam in semet ipso: sic dedit filio
 uitam habere in semet ipso. Hæc omnia fides uera resurrectio
 nis Christi confirmat, certa; efficit, ac nos (si ei adhærere uelis
 mus) tormentis omnibus, morteq; ipsa reddit superiores.

Caput duodecimum de ascensione Christi.

ASCENDIT AD COELOS, SEDET
 ad dexteram dei patris omnipotentis.

Sacra

Sacra scriptura aperte nobis, ut iā diximus, testat in cœlo lo-
 cum esse dignū ac honorabilē: in quo deus beatis omnibus
 uidentū fruendūq; se ostendit: & in quo eos collocat procul
 ab hoc loco generationi & corruptioni rerum parato. Quod a
 nobis est sincera fide tenendum. Nec tamen putes, quod aliter
 non potuerit deus electos suos beatos efficere: sed quod sic
 summa eius sapientia disposuit, admirabili illi operationi lo-
 cum adiungens, tanto a cæteris locis seiunctum altitudine,
 pulchritudine, & cæteris locorum dignitatibus: quanto opera-
 tio illa beatorum est cæteris omnibus præstantior. Hoc decan-
 tat Psaltes: Quam dilecta (inquiens) tabernacula tua domine *Psal. 83.*
 uirtutum: concupiscit & deficit anima mea in atria domini. Vbi
 hanc proportionem loci ad beatorum opus ostendens, addit:
 Beati qui habitant in domo tua dñe: in sæcula sæculorum lauda-
 bunt te. Hanc etiam illius loci amœnitatem in apocalypsi Ioan- *Apo. 22*
 nes multis uerbis explicat: quæ quamuis spiritaliter intelli-
 possint: corporaliter tamen uera sunt in cœlo. Ab hoc igitur
 loco relegatus fuerat homo propter primum peccatum, & ue-
 rius ab hoc cœlesti paradiso, quam ab illo terrestri exclusus: at-
 que maius impedimentum ob peccatum oppositum est, ne
 quis eo ascendere posset, quam ne quis in terrestrem illum pa-
 radisum ingrederetur. Ad hunc ergo locum cœlestem credi-
 mus Christum dominum integrum, deum & hominem ascen-
 disse, atque naturam illam nostram ex Adam acceptam, in cœ-
 lum sustulisse, facta nobis illhuc ascendendi facultate: utpote
 iam composita inter cælum & terram amicitia perpetua. Hinc *Ioan. 3.*
 ipse ait: nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cœlo, si-
 lius hominis, qui est in cœlo. Nam uere nemo illhuc ascendit,
 nisi illius uirtute, ac factus eius membrum. Itaq; alibi: si abie- *Ioan. 14.*
 ro (inquit) & præparauero uobis locum: iterum ueniam, & as-
 sumam uos ad me ipsum: ut ubi ego sum, & uos sitis. Iure au-
 tem optimo ascendit in cælum, tanquam in locum proprium,
 T dei

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

dei filius, Repetunt enim omnia sua naturalia loca, atq; suam
 originem: extra quam non quiescunt. Cum ergo filius dei a pa-
 tre ab æterno natus de cœlo descendisset salutis nostræ causa:
Ioan. 17. illa peracta (iuxta illud: opus consumaui, quod dedisti mihi, ut
 faciam) iustum fuit, ut ad sua reuerteretur: quod & David cele-
Psa. 138. brat: A summo cœlo (inquiens) egressio eius: & occursum eius
 usq; ad summum eius. Ac merito etiam illuc ascendit, qui non
 hic esse beatitudinem, sed miseriam uenit ostensurus homini-
 bus: quicq; eos ab horum omnium uisibilibus intentione desi-
Psal. 4. derioq; separare curauit: filii hominum (clamans) usq; quo gra-
 ui corde: ut quid diligitis uanitatem, & quæritis mendacium?
Psa. 38. Quæ autem sit hæc uanitas, declarat Psalter: uerum tamen (in-
 quiens) uniuersa uanitas omnis homo uiuens. Omnia ergo uan-
 itas: ac omnia tanq; uana dimittenda sunt. Vnde nolite (ait
Math. 6. Christus) thesaurizare uobis thesauros in terra: ubi ærugo &
 tinea demolitur: & ubi fures effodiunt, & furantur. Thesauriza-
 te uobis thesauros in cœlo: ubi nec ærugo, nec tinea demoli-
 tur: & ubi fures non effodiunt, neq; furantur. Vbi enim est the-
 saurus tuus, ibi est & cor tuum. Cum igitur Christus non fece-
 rit contraria iis, quæ docuit: sed uiuens in terra, thesauros in
 cœlo thesaurizauerit, omnia sua agens ad patris gloriam, atq;
 ad consequendū nobis æternam sc̄licitatē ea refferens: cumq;
 hic nobiscū perpetuo nō esset actur; debuit profecto in cœlū
 ascendere, fruiq; gloria illa atque integra animæ & corporis
 beatitudine, ac simul nobis spem, magnā relicturus consequen-
 di impetrandiq; in aula illa cœlesti quicquid petierimus, & quo-
 cunq; egerimus. Quam spem, efficaci sime ad se trahens no-
 strum affectum, uehementer nobis corroborauit: scientibus
 apud summum deum, a cuius nutu salus nostra pendet, ipsum
 perpetuo manere pro nobis interpellantem, filium patri charis-
 simum, fratrem nostrum, eandem nobiscum naturam habentem.

tem, patriq; illam ostendentem, qui & nos usq; ad mortem dilexit: atq; ipsum nihil non posse a patre obtinere, nihilq; apud eum non efficere. Ideo, cum dictum esset in hoc articulo, sedet ad dexteram dei: apposite additum est: omnipotentis: hoc est, omnipotentis in patris omnipotentia. Quare nihil non poterit: nihilq; boni nobis non uult Christus Iesus. Vnde merito Paulus inquit: quis acufabit aduersus electos dei? Deus qui iustificat. Quis est, qui coademnet? Christus Iesus, qui mortuus est, immo & qui resurrexit, qui est ad dexteram patris, qui etiam interpellat pro nobis: Eandem etiam spem rursus plurimum confirmat illud, quod a nobis recedens, dixit Christus: Vado parare uobis locum. Nobis enim aperuit cœlum, ascendens: nobis illud peruium fecit: & pro nobis dei filius cœli loca accepit. Hinc uerissime Paulus Apostolus clamat etiam a gentibus in hoc exilio, ipse similiter in eo manens: eramus natura filii iræ, sicut & ceteri. Deus autem, qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, cuius gratia saluati estis: & conresuscitauit nos, & confedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu. Itaq; uera Christi membra & ueri fideles, in Christo domino resurgente iam resurrexisse se putant: atq; in ipso ad patris dexteram sedente se reputant confedere. Nam conresuscitauit nos (inquit Paulus) & confedere fecit. Nostrum item affectum ad cœlos erigit ipse, illuc ascendens: quoniam & nascens, & uiuens, & tandem pro nobis moriens affectum nostrum, omnemq; amorem satis ad se traxit. Trahit enim post se (quod sponsa petebat) Christus dominus omnes, qui illius opera eximie charitatis, benignitatis, & gratiæ attente inspexerint, & considerauerint: ac cogit quodâ modo nos, ipsum

Roma. 8.

Ioan. 14.

Eph. 2.

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

amare, atq; erga eum optime affici tam in uita, quam in morte. Et deniq; ascendens in coelum excitat sine dubio ad coelestia meditanda omnes, qui ipsum amant. Atque hoc modo dignos nos facit coelestibus bonis: cum ea nos desiderare facit, ac instanter efflagitare a deo. Sic Apostolos suos abundantis spiritus feruore fecit dignos, ut in oratione assiduo uiuerent: et, ut

Phil. 2.

Paulus ait, in coelo conuersarentur. Præterea abscondens se ab omniū corporeis oculis, spiritualiter cordibus se præsentem facit: ac ita docuit nos in hoc sæculo, tanquam in exilio & in fide ipsius uiuere, non in præsentia, sed in desiderio, ac suspiriis con-

Psal. 41.

tinuis: ut dicamus & nos: quando ueniam, & apparebo ante faciem dei: fuerunt mihi lachrimæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: ubi est deus tuus! Neq; uero solum ascendit Christus in coelos: sed sedet etiam ad dexteram patris omnipotentis, hoc est, manet, & habitat in æqualitate patris, in unitate naturæ, nihilo patre minor iuxta diuinam naturam, iuxta uero humanam obtinens gloriæ locum atq; gradum omnibus angelis superiorem, & deniq; in potioribus patris bonis: quod

Ephes. 1.

Paulus aperte declarat, de deo sic dicens: secundum operationem potentiae uirtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis, & constituens ad dexteram suam in coelestibus. Atq; hoc, quod ad dexteram suam dixerat, statim declarans, subiungit: super omnem principatum, & potestatem, & uirtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed in futuro. Et omnia subiecit sub pedibus eius: & ipsum dedit caput super omnem ecclesiam, quæ est corpus ipsius, &c. Sedet, inquam, Christus dominus ad dexteram patris: quoniam beatitudinem illam non quouis modo, neq; ut alii beati, habet: sed tanquam naturalem, & cum dominio quodam, atq; excellentia, potestateq; in beatos, omnibus & angelis & hominibus illius subiectis dominio. Nam

Psal. 2.

pater filio; dabo (inquit) gentes in hæreditatem tuam, & possessionem.

fessionem tuam terminos terræ: scilicet ut in omnibus gentibus, atq; mundi partibus colatur, cognoscaturq; ad patris dexterâ sedens, ac omnium dominus: qui uero id non agnouerint & confessi fuerint, tanquam rebelles domino suo, extremæ referuentur damnationi. Ait namq; Dauid: Dixit dominus domino meo: sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Dignissimum autem est consideratione, quam apte meritis Christi domini respondeant præmia illa, atq; remuneratiões. Passioni, n. eius & morti respondet resurrectio & impassibilitas: sepulturæ & descensui ad inferos, cœlum sedesq; patris: illusionibus, opprobriis, extremisq; illis contumeliis, nominis ipsius exaltatio, illustratiõq; eius gloriæ in omni terra. Itaq; Paulus de Christo: semet ipsum (ait) exinanivit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus, ut homo. Humiliauit semet ipsum, factus obediens usq; ad mortem: mortem autem crucis. Propter quod deus exaltauit illum: & donauit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & inferorum: & omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus in gloria est dei patris. Et iterum idem: Qui ascendit (inquit) ipse est qui descendit primum in inferos, & res partes terræ. Cæterum solus quidem Christus passus est, & sepultus: non tamen solus ab inferis surrexit, nec solus ascendit: sed tunc adduxit etiam una secum beatos illos patres, qui in spe eius conclusi tam diu permanserant: Deinde uero adduxit nos omnes: sicut per Micheam promiserat: Congregatione (inquit) congregabo Iacob totum te: in unum conducam reliquias Israel: pariter ponam illum quasi gregem in ouili, quasi pecus in medio caularum: tumultuabitur a multitudine hominum. Ascendet enim pandens iter ante eos: diuident, & transibunt portam, & egredientur per eam: & transiit rex eorum coram eis, & dominus in capite eorum. Vbi attentius notandum,

Psal. 109

Phil. 2.

Eph. 4.

Mich. 2.

INSTITVTIONIS CHRISITIANAE

Luc. 15. dum, quam apte euangelicæ Parabolæ Christum dominum describat Propheta pastorem illum, qui relictis in deserto nonaginta nouem ouibus, angelicis nempe spiritibus, uenit, ut quæreret centesimam hanc perditam ouiculam: & inuentam congregauit, ac tandem super humeros impositam adducit ad suam cœlestem domum: atq; uocatis a nicis, beatis spiritibus, in sua ascensione, naturam illam, quam sibi unierat, atq; magnam congregationem sanctorum omnium patrum, qui a condito orbe pie uixerant, illis ostendens, ait: Congratulamini mihi: quia inueni ouem, quæ perierat. Et hoc est, quod per Micheam: Congregabo (dixit) Iacob, totum te, quasi gregem in ouili. Sic igitur Christus dominus omnes illos patres congregauit: ac sursum ascendit pandens iter ante eos, aperiendo scilicet ianuas cœlestis paradisi: atq; præcedens suos, diuidet, & transibit portam, &c. quibus mysterium hoc & ascensionis suæ, & nostræ illam sequentis aperte describitur. Iam postremo in hac aduentus Christi in mundum ultima & aptissima conclusione, attento & pio animo cogitandum est, quam uere atq; digne dicebat ipse: Ego sum uia, ueritas, & uita: uia enim nobis est in uita atq; morte: uita uero & ueritas in resurrectione & ascensione. Quare merito clamat: Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Quanta ergo ratione petit, ut ipsum sequamur, qui tam recta manifestaq; uia cœlum, quo omnia humana desideria contendunt, peruenit: quiq; ipsa hac uita sua & uia nobis tam apertam felicitatis uiam ostendit? Passio enim, sepultura, resurrectio & ascensio eius uniuersam Christianam uitam nobis depingunt. Primum namq; omnium est, cum Christo patiente & crucifixo, mundo crucifixum esse, atque mortuum: iuxta illud Pauli: mortui enim estis: & uita uestra abscondita est cum Christo in deo. Cum autem Christus apparuerit, uita uestra: tunc & uos apparebitis cum ipso in gloria. Mortificate ergo membra uestra, quæ sunt super terram. Quare & de se

Paulus

Ioan. 14.

Ioan. 8.

Colof. 3.

Paulus loquens : mihi mundus (inquit) crucifixus est, & ego mundo: & rursus: Christo confixus sum cruci. Mors certe hæc sancta est: qua peccatis, prauis affectibus, atque uanis desideriis morimur. Deinde necesse est, uoluntate atq; firma deliberatione se mortuum abscondere a sæculo: obseruando uidelicet oculos, ne uanitatem uideant: linguam, ne loquatur praua: cæterosq; sensus dei timore atque disciplina clausos sepultosq; continendo: per quæ tandem ad uitam nouam ac prorsus cœlestem, uerumq; Christi amorem assurgimus, Christo resurgenti assimilati, neq; iam metu, sed amore, gaudio, atque summa hilaritate illi seruientes: ut possimus iam cum Paulo dicere: *Viuo autem iam nõ ego: uiuit uero in me Christus.* Sic autem consequimur id, quod idem Apostolus omnibus præcipit: sicut Christus (dicens) resurrexit a mortuis per gloriam patris: ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Postremo tunc cœlestia attente & assiduo cogitanda sunt: iuxta illud Pauli consilium: *Quæ sursum sunt, quarite: ubi Christus est in dextera dei sedens. Quæ sursum sunt, sapite: non quæ super terram.* In cœlis ergo quotidie cogitatione, desideriis, & orationibus uersetur: ut scilicet possimus cum eodem Apostolo dicere: *nostra conuersatio in cœlis est: & cum Dauide: stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hierusalem.*

Gal. 6.

Gala. 2.

Gala. 2.

Colos. 3.

Phil. 2.

Psa. 112

Caput decimum tertium de aduentu &
iudicio Christi.

INDE VENTVRVS EST IVDICA-
re uiuos & mortuos.

Vltimus

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

Vltimus hic articulus est de humanitate Christi: qui solus est de futuro. Nam omnia, quæ præcedentibus articulis continentur, completa iam sunt. Mortuus enim est iam Christus, resurrexit, ascendit, & sedet ad dexteram patris. Hoc autem, quod hoc articulo continetur, solum expectandum restat. Ac est id, quod post ipsius saluatoris ascensionem, de ipso semper cordi infixum habere debemus. Sic enim angeli apostolis ipsis, Christo ascendente in cœlum, dixerunt: *Quid statis, aspicientes in cœlum? quemadmodum uidistis eum ascendentem in cœlum: sic ueniet. Estq; hoc de cœlo uerissime allatum oraculum, uenturum adiudicium Christum in forma humana, & gloriosum. Quare id etiam in hoc symbolo statim post fidem ascensionis Christi ponitur: sicut ab angelis est annunciatum.*

Tenet ergo primum Christiana fides: finiendum esse hunc mundū, & oīm cœlorum motum quieturū, atq; generationes & continuas has transmutatiōes cessaturas, & deniq; omnia composita, ut plantas animalia, ac uniuersa arte facta consumenda: idq; per ignis conflagrationem terribilem: quod quo tempore sit futurum, nemini manifestum esse testatur ipse dominus in euangelio: ita scilicet optimo & sapientissimo deo providente, ut recte & caute uiuamus, semper hunc finem expectantes. Vnde adueniet (inquit Petrus Apostolus) dies dñi, ut fur: in quo cœli magno impetu transient: elementa uero calore soluentur: terra autem, & quæ in ipsa sunt opera exurentur. Quid autem uera horum fides in nobis efficiat, ostendit statim idem Apostolus: Cum igitur (inquiens) hæc omnia dissoluenda sint: quales oportet uos esse in sanctis conuersationibus & pietatibus, expectantes & properantes in aduentum diei domini: per quem cœli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescunt: erit porro hæc mundi conflagratio, atq; hic finis malis quidem & iis, qui omnem suam spem in sæculo collocarunt, tris

Act. 1.

Mdt. 24.

2. Pet. 3.

tris

stis & formidabilis, tanto magis: quanto sæculum magis dilexe-
 runt: iustis uero erit gratus & amabilis. Latabitur enim (ut in- *Pfal. 58.*
 quit *Pfal.*) iustus, cū uiderit uindictam. Ac Christus dominus,
 cum de ruinis sæculi hanc ultimam præcedentibus loqueretur: *Luce. 21.*
 arescentibus (inquit) hominibus præ timore & expectatione,
 quæ superuenient uniuerso orbi. Statim uero iustos alloquens,
 subiicit: his fieri incipientibus, respicite, & leuate capita uestras
 quoniam appropinquat redemptio uestra. Et dixit illis similitu-
 dinem: uidete ficulneam, & omnes arbores: cum producunt iã
 ex se fructum: Scitis quia prope est æstas. Ita & uos, cum uideri-
 tis hæc omnia fieri: scitote, quia prope est regnum dei. Malorū
 autem quanta sit futura tristitia atque deiectio, aperte declarat *Esaï. 20.*
Esaïas: Dies domini (dicens) exercituum super omnem super-
 bum & excelsum, & super omnem arrogantem, & humilia-
 bitur: & super omnes cedros libani sublimes & erectas, & super
 omnes quercus Basan, & super omnes montes excelsos, & su-
 per omnes colles eleuatos, & super omnem turrim excelsam, &
 super omnem murum munitum, & super omnes naues tharsis,
 & super omne, quod uisu pulchrū est. Et incuruabitur sublimi-
 tas hominum: & humiliabitur altitudo uirorū: & eleuabitur
 solus dominus in die illa: & idola penitus conterentur: & introi-
 bunt in speluncas petrarum, & in uoragines terræ a facie formi-
 dinis domini, & a gloria maiestatis eius: cum surrexerit percu-
 tere terram. Atq; apertius adhuc: in die illa (addit) proiciet ho-
 mo idola argenti sui, & simulachra auri sui: quæ fecerat sibi, ut
 adoraret talpas & uespertiliones. Quo in loco Propheta idola
 & simulachra auri & argenti uocat auarorum lucra atq; emolu-
 menta: quæ ipsi sibi adinueniunt deo cōtempo, legeq; eius post-
 habita: propter quod Paulus dixit, auariciam esse simulachro- *Colof. 3.*
 rum seruitutem. Atq; has auarorum mundanorumq; hominum
 callidas adinventiones, lucra, pecuniasq; ipsas uocat etiam
 Propheta talpas & uespertiliones, animalia scilicet cæca, atque

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

noctu & sub terra degentia : quoniam quo magis homines iis cogitationem mentemq; suam tradiderunt: eo ad spiritalia cœlestiaq; intelligenda sunt ineptiores, totos se terrenis rebus dēdentes. Et hoc est, quod dicit: ut adorarent talpas & uespertiones. Hæc enim terrena colit pro diis: hæc adorat auarus. Verum in illa die ea proiciet : iam sero iudicans uanum omnino fuisse illis adhæsisse: & ingredietur scifuras petrarum, & cauernas saxorum a facie formidinis domini, & a gloria maiestatis eius: cum surrexerit percutere terram.

Tenet deinde Catholica fides in hoc mundi fine uniuersale omnium hominum iudicium futurum : deo uidelicet ita constituyente, & sapientissime prouidente. Nam quantumuis quilibet homo in morte sua accipiat iudicium aut præmii, aut pœnæ, aut etiam purgationis. De diuite nanq; epulone statim mortuo scribit, quod fuerit in inferno. Et Paulus aperte dicit, uelle se a corpore peregrinari, ut apud deum præsens sit: significans statim post mortem sibi adesse foelicitatem. Item de iudicio purgationis idem Apostolus scribit, ædificantem super fundamento fidei & charitatis, ligna, scœnum, & stipulam, saluum fore: sic tamen quasi per ignem. Quamuis igitur ita sit, ut in morte quilibet iudicium subeat: uerum quia quilibet homo est totius uniuersi pars, ac totius humanæ reipublicæ membrum, pendens a præteritis & futuris, atq; manens etiam quodam modo post mortē (manent enim filii, & opera ac exempla aut scripto aut memoria tradita: quæ quidam sequentes uel meliores uel peiores efficiuntur) iustum est, ut postea cum omnibus quilibet iudicetur. Tunc ergo omnia simul ostendentur, ac iudicabuntur : tunc manifestum fiet omnibus, quantum quis gloriæ deo, & quantum utilitatis proximis etiam post mortem attulerit : tunc totum uniuersum simul accipiet finem: omnesq; ultimam aut gloriam, aut pœnam refferent. Ideo Paulus hunc diem uocat reuelationis iusti iudicii dei: qui reddet

Luc. 16.

1. Cor. 5

1. Cor. 2

Roma. 2.

reddet unicuique secundum opera sua. Atque alibi: Nolite (ait) ante 1. Co. 4
 te tempus iudicare, quo ad usque ueniat dominus: qui illuminabit
 abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: &
 tunc erit laus unicuique a deo. Atque id est, quod dicimus: uentu-
 rus est iudicare uiuos & mortuos, hoc est, omnes, qui usque ad
 iudicii tempus uixerunt, uel mortui sunt. Nam ad iudicium
 omnes ueniemus. An uero qui illo tempore uiui fuerint reper-
 ti, morituri sint an non: nunc discutere non est opus: quam-
 uis satis rationi consonum sit, morituros omnes, atque resur-
 recturos.

Tenet præterea fides hoc uniuersale omnium iudicium
 deum patrem Christo homini tradidisse: idque dignissime.
 Primum, quoniam illi pater dedit hanc dignitatem singularem
 & immensam, omnium angelorum dignitatem superantem: ut
 uidelicet filius dei uerus atque naturalis esset, gratiamque habe-
 ret, uelut caput, in omnes iustos deriuandam. Nam placuit
 (inquit Paulus) in ipso omnem plenitudinem diuinitatis inha-
 bitare, & per eum reconciliari omnia in ipso. Atque ipse apud
 Dauidem: ego constitutus sum (inquit) rex ab eo super Sion Colof. 1
 montem sanctum eius: scilicet supra omnem hominum & an-
 gelorum dignitatem. Regis porro est iudicare subditos. Quod Psal. 26
 petens Dauid pro eo: Deus (dicebat) iudicium tuum regi da, &
 iusticiam tuam filio regis. Deinde, quoniam hic solus iudex in-
 ter deum & nos neutri parti suspectus esse poterat, nullique Psal. 71
 tanta æquitate id committi. Omnes namque homines deus ha-
 beret merito suspectos iudices. Omnes enim peccauerunt: nul-
 lusque peccator sui aut aliorum æquus iudex esse poterat. Deum
 uero, quem offendimus, etiam homines iuste timebant: nec erat
 qui non, sicut Adam, se absconderet a uoce, & facie dei. Ipse er-
 go fragilitati humanæ consulens, simulque maliciam nostram
 conuincere uolens, homini Christo iudicium committit. Ipse
 V ii enim

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

enim iudicaturus est, atq; æternis pœnis damnaturus malos: quos usq; ad mortē, atque eā crucis dilexit: qua charitate nulla maior esse potest. Quis ergo poterit iuste conqueri, quod seuerius secum agatur? Namq; Christus inter deum iustissimum ac immortalem, & inter peccatorem hominem arbiter est æquissimus: ut pote deus ipse iustus, & uerus homo. Vnde ipse de se: *Io. 11. 5.* sicut (ait) pater habet uitam in semet ipso: sic dedit & filio uitam habere in semet ipso: & potestatem dedit ei iudicium facere: quia filius hominis est. Ideo itaq; pater dedit filio eam potestatem iudicii: quia filius hominis est. Cum enim non possent homines sustinere illud exquisitissimum dei iudicium: uoluit cum eis pie agere piissimus deus.

Postremo docet fides, ad hoc peragendum iudicium, uenturum filium hominis in humana illa atq; gloriosa forma sua, cū maiestate & potestate, angelis sanctisq; omnibus illū comitantibus, tremantibus & cœlis & inferis & terra ipsa, ac omnibus deniq; quæ in ea sunt, illi subiectis, atque coram eo genua flexentibus. Quod & ipse dominus in euangelio declarauit: *Mt. 24.* *Luc. 21.* debunt (inquens) filium hominis uenientem in nubibus cœli, cum uirtute magna & maiestate. Et rursus: cum uenerit (ait) *Mt. 25* filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli eius cum eo: sedebit super sedem maiestatis suæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eas ab inuicē: sicut pastor segregat oues ab hædis. Erit porro hæc Christi domini uisio sanctis atq; piis magna delectatio, atque incomparabile gaudium: quoniam Christum dominum, quem toto corde dilexerunt, uidebunt in tanto splendore tantaq; gloria. Hinc exaltare (ait *Psal. 20.* *Psal. 103*) domine in uirtute tua: cantabimus, & psallemus uirtutes tuas: & alibi exultans gaudio: Domine deus meus (inquit) magnificatus es uehementer: confessionem & decorem induisti: amictus lumine, sicut uestimento. Impiis uero atque ingratis erit hæc uisio summa confusio, tristitia, & miseria: cum uide-

rint sibi faciem illam mitissimam ueri agni conuersam in tantam iram & furorem, ut inferno ipso intolerabiliorem eam existiment, cupiantque uel in inferno a uultu huius ira abscondi: quod in Apocalypsi Ioannes optime explicat, dicens: & reges Apo. 6. terræ, & principes, & tribuni, & diuites, fortes, & omnis seruus, & liber abscondent se in speluncis, & in petris montium; & dicent montibus & petris: cadite super nos, & abscondite nos a facie sedentis super thronum, & ab ira agni: quoniam uenit dies magnus iræ ipsorum: & quis poterit stare? Postquam ergo dñs deus in hac apparuerit maiestate & gloria: mira ac ineffabili uirtute ostendet omnibus singulorum conscientias: atque omnia abditissima, & quæ etiam lateant ipsos met authores, manifesta faciet. Hinc Paulus: iudicabit dominus (ait) Rom. 2 occulta hominum secundum euangelium meum. Et rursus de Christo 1. Cor. 4 inquit (cuius dicti supra etiam meminimus) qui & illuminabit abscondita tenebrarum, &c. Est enim cor hominis abyssus profundissima: quam nemo potest integre cognoscere: ut uerissime Paulus dicat: nec me ipsum iudico. Nihil, n. 1. Cor. 4 conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum. Tunc ergo cuiuslibet notum erit, quantum & deum, & se, & alia dilexerit: neque ulla uel leuissima cogitatio prætermittetur, quæ non in exquisitissimum examen adducatur a deo. Quare sanctissimi quicquid cogitantes, coguntur clamare: non intres in iudicium cum seruo tuo psa. 112 domine: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Ac Petrus de hac discussione seuerissima; tempus (inquit) 1. Pct. 4. est, ut incipiat iudicium a domo dei. Si autem primum a nobis: quis finis eorum, qui non credunt euangelio dei? Et si iustus qui dem uix saluabitur: impius & peccator ubi parebunt? Hac autem examinatione breuissimo momento, sed plenissime perfecta, proferetur sententia illa ultima de sempiterna foelicitate bonorum, & aeterna miseria malorum. Quæ sententia non solum ostendet malos quidem iis pœnis, bonos uero iis præmiis

INSTITVTIONIS CHRISITIANAE

esse dignos, deumq; iustissime ita eos tractare: sed simul etiam
secum conferet dei potentiam, & uirtutem; qua sine ulla mora,
protinus malos aeterna miseria, bonos uero aeterna foelicitas
sequatur. Quod mente semper tenere magnæ est prudentiæ,
Mat. 24 ualdeq; omnibus necessarium. Ac ideo beatus (inquit ipse do-
minus in euangelio) seruus: quem, cum uenerit dñs, inuenerit
Luc. 21 uigilantem. Et rursus cum de die hac atque ultimo iudicio lo-
cutus fuisset, saluberrime admonuit: Attendite autem uobis
(inquiens) ne grauentur corda uestra in crapula, & ebrietate, &
curis huius uitæ: & superueniat in uos repentina dies illa. Tan-
quam laqueus enim superueniet in eos, qui sedent super faciem
omnis terræ. Superueniet autem dies illa repentina in nos, tan-
quam laqueus: si mors imparatos nos occupet. Quare domi-
nus addit: uigilate itaq; omni tempore orantes, ut digni habe-
mini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante filium
hominis.

Caput XIII. de aduentu uisibili, & inuisibili spiritus sancti.

CREDO IN SPIRITVM sanctum.

DE spiritu sancto supra sumus loquuti, cum de sanctissima
Trinitate loqueremur. Hic solum duximus notandum,
quam conuenienti ordine hoc loco ponatur spiritus sanctus.
Pater enim primum misit nobis filium in natura uisibili. Vbi is
in mundum uenit, redemptioneq; peracta cælum conscen-
Act. 2. dit: pater & ipse miserunt spiritum sanctum in uisibili illa ignis
atque linguarum specie: quod & ante Christus promiserat: si
Ioan. 16. non abiero (inquiens) paraclætus non ueniet ad uos. Si autem
tem

tem abiero: mittam eum ad uos. Ipse autem spiritus sanctus adueniens, & sui ipsius, & patris, & filii noticiam primū Apostolis *Ioan. 14.* reliquisq; discipulis contulit: quod & Christus prædixerat, uocans eum spiritum ueritatis: quem mundus (ait) non potest accipere: quia non uidet eum, nec scit eum: Vos autem cognoscetis eum: quia apud uos manebit, & in uobis erit. Atq; alibi de se Christus loquens: ille (inquit) me clarificabit. Deinde *Ioan. 16.* etiam idem spiritus sanctus omnium, quæ ad salutem necessaria sunt, doctrinam ecclesiæ tradidit, iuxta illud Christi uerbum: paraclētus autem spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille uos docebit omnia, &c. Quemadmodum ergo uniuersis mysteriis salutis nostræ completis, Christus dominus spiritum sanctū uisibiliter misit: sic illis iam in hoc symbolo explicatis, ad spiritum sanctum uenitur: de quo non solum fides Catholica credit, quod sit uerus deus a patre & filio ab æterno procedens, unius eiusdemq; ac indiuisibilis cum illis & substantiæ, & uirtutis, & operationis: uerum etiam quod ipse in animas adueniat propria uoluntate & uirtute, simulque mittatur a patre & filio, non uti minor, aut ab eis aliquo modo diuisus, sed tanquam ab illis emanans, & procedens, eorumq; uoluntate, quæ omnimode eadem est cum sua, nobis communicatus. Ipse igitur sic adueniens, animas nostras gratia, charitate, cæterisq; cœlestibus donis replet, ac deo gratas reddit. Vnde charitas dei (ait Paulus) diffusa *Rom. 5* est in cordibus nostris per spiritum sanctum: qui datus est nobis. Neq; uero gratos solum nos reddit deo spiritus sanctus: sed efficit etiam uerissime filios adoptiuos. Non enim accepistis (inquit idem Paulus) spiritum seruitutis in *Rom. 8* timore: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum dei: in quo clamamus, abba Pater. Ipse enim spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quod sumus filii dei. Sicut enim spiritus sanctus amor est a patre filioq; procedens: Sic in animis

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

animis nostris efficit ipsum dei amorem, non quemuis, sed diuinum, ac magis, quam a natura nostra produci posset, perfectum: quo deum, tanquam nos amantem ad propria sibi bona, ipsaque nobis uolentem redamamus. Ac per hunc effectum mirabilem & uniuersis naturæ operibus superiorẽ spiritus sanctus in animabus nostris inhabitat, templumq; suũ eas efficit, atq; se naturamq; suam, & patrem, & filium propria nostra operatione contingere dat, ac nos illis uere unit. Quæ omnia cum efficit, in nos sine ulla sui mutatione aduenit, nos potius mutans, & in se transformãs. Neq; uero ab hoc dei amore efficiendo in nobis, atque ab hoc in animas nostras aduentu & in habitatione alieni sunt pater & filius. Ait enim ipse Christus: si quis diligit me: sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniet, & mansionem apud eum faciet. Tota namq; sancta Trinitas ad nos uenit, in animabus nostris inhabitat, & templum suum eas efficit: ut Paulus legis etiam testimonio probat: Vos enim estis (inquit) templum dei uiui: sicut dicit deus: quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & erolorum deus: & ipsi erunt mihi populus. Dicit ergo Paulus nos esse templum non spiritus sancti tantum, sed dei: qui utiq; unus est, pater, filius, & spiritus sanctus. Venit igitur in nos deus, quoties ex peccatoribus efficitur iusti, aut ex iustis iam iustiores, melioresq; reddimur: siue quoties gratia deiq; adoptio aut de nouo datur, aut augetur data. Manet autem deus in nobis, quam diu per peccatum illi non contradicitur: manet inquam, nos in se manentes conseruans, nobis dona hæc, quibus naturæ suæ consortes efficitur, largiens, & largita adaugens, & deniq; nos quasi manu tenens ac ducens. Vnde Apostolorũ princeps: maxima (inquit) & preciosa nobis promissa donauit: ut consortes diuinæ efficiamur naturæ. Porro in iis donis charitas prima præcipuaq; est, primum a gehenæ & perditionis filiis nos distinguens, Qui enim non diligit (scribit Ioannes) manet in morte.

Quare

IOAN. 14.

2. Cor. 6.

Leui. 26

1. Pet. 1.

1. Ioan. 3

Quare hæc totius trinitatis operatio spiritui sancto tribuitur expressius: uti ex citatis Pauli uerbis constare potest. Etenim hæc dei dilectio ab ipso in nos manās & producta, spiritus sancti est expressa quædam similitudo, & simillima imago. Est, n. ipse spiritus sanctus amor, charitasq; a patre & filio se & omnia alia amantibus inspirata: estq; eorum uinculum & nexus: quantum nobis ipse de se & loqui & intelligere dedit. Cum ergo hoc in nobis efficitur, ut deum supra omnia amemus, nosq; ipsos ad fruendum & propter fruendum eo diligamus, non uti serui solum, sed etiam uti filii: cumq; hoc modo deo unimur, & adducimur quodam modo ad illam ineffabilem, quam inter se diuinæ personæ habent, societatem: nexu certe illo id fit & uinculo, quo sibi inuicem connectuntur diuinæ personæ, nempe spiritu sancto. Itaq; Christus patrem rogabat pro fidelibus: ut omnes (in Ioan. 17.quit) unum sint, sicut tu pater in me & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint. Cum ergo in hoc nobis efficitur: producit in nobis spiritus sanctus a patre & filio, atque nobis mittitur, & datur. Venit autem ipse sponte sua: uenit etiā pater: uenit & filius: sua omnipotente uoluntate atq; uirtute nos ad se trahentes, atque eleuantes. Quo ordine dei ineffabili bonitati atque sapientiæ uisum fuit, seipsum, ac suæ naturæ admirandos, internos, sacratissimosq; processus, & personarum distinctionem, non solum reuelare nobis: quod certe maximum erat donum: sed & largiri, atque communicare: ut uidelicet sicut pater ab æterno filium gignit, expressissimam sui imaginem, uerbum, & sapientiam: ita in tempore ipsum mentibus nostris communicaret: quo certissima fidei cognitione cognosceremus ambos, & in eis nos ipsos, ac cætera omnia. Et rursus sicut pater & uerbum se amantes, spiritum sanctum spirant: sic & ipsi eundem nobis immittunt: cum efficiunt nos sui amatores. Quo sane modo habemus, plane in nobis deum, & illius operationum participes sumus, uereq; instauratur in nobis, & perficitur diuina illa imago: X dum

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

dum memoria foecundatur a patre: intelligentia a filio illustratur: uoluntas accendit a spiritu sancto. Hanc porro deus benignissimã sui communicationem uisibili etiam modo, & conuenientissimo, soliꝫ suã sapientiã summã excogitabili propter hões ad spiritalia capienda non satis aptos effecit. Misit namꝫ pater in mundum filium factum hominem. Vbi igitur is uenit tanquã doctor, medicus, & redemptor, perfectissimeq; ea officia docendi, sanandi, & nos redimendi compleuit: pater & ipse filius spiritum sanctum uisibili etiam modo miserunt, tanꝫ donũ & sanctificationem: donum certe dignum deo: qui dare nobis in primis solet amorem suũ. Nihil enim illi summã bonitati satis est dedisse, nisi se ipsum dederit. Atq; hanc missionẽ spiritus sancti in die pentecostes impletam legimus in libro actorum Apostolorum: in quo sic scriptum est: apparuerunt illis dispartite linguã, tanquam ignis: seditq; supra singulos eorum spiritus sanctus: & repleti sunt omnes spiritu sancto. Filius igitur qui docere uenerat uisibilis, in rationali natura apparere debuit, & illi uniri: quã sola dei capax est inter uisibiles. Spiritus uero sanctus significat, tantum, & ostensus est uisibili illo ignis & linguarum signo: qui amor est efficacissimus: quiq; cor primum, linguam deinde accendit. Nam ex abundantia cordis os loquitur. Vnde Dauid: concaluit (inquit) cor meũ intra me: & in meditatione mea exardescet ignis: & post addit: loquitur, sum in lingua mea. In Apostolos ergo & primos ecclesiã patres hoc signo ostensus est spiritus sanctus aduenisse: quoniam eos ad dei amorem & desiderium, peccatorumq; odium & expugnationem inflammaturus erat. Deus enim noster (ut scribitur in lege) ignis consumens est. Quod de dei amore, zeloq; dictum est. Nã si (ut in canticis legit) fortis est, ut mors, dilectio: dura, sicut infernus, æmulatio: necesse est dei amorem fortiorem & efficaciorum tanto cæteris esse: quanto deus cuncta, quã amari possunt, superat: de quo etiã igne Christus dicit: ignem ueni mittere in terram: & quid uolo, nisi ut ardeat: Vult enim deus suos esse ar-

Act. 2.

Psa. 38.

Deu. 4.

Can. 8.

Luc. 12.

dentissimi mos: de quo scribit, quod faciat ministros suos igne ure-
 tem. Quod sane signo illo uisibili deus in primis uoluit significa-
 re: ac id nos præcipue oportet semper mente uoluere: atque per
 illud signum spiritus sancti in nobis præsentiam agnoscere. Il-
 lis uero ineuntis ecclesiæ patribus ignita linguæ fuerunt im-
 missæ: ut ignita uerba loquerentur. Nam David deo: ignitum
 (inquit) eloquium tuum uehementer. Ac sola ea uerba illis pro
 machinis, armis, exercitibusq; debellando dæmonis principa-
 tui sunt data: iuxta illud Christi uerbū: dabo uobis os, & sapien-
 tiam: cui non poterunt resistere & contradicere oēs aduersarii
 uři. Atque ideo alibi de spiritu factō ad eos misso dicit, quod ille
 arguet mundū de peccato, & de iusticia, & de iudicio. Dederat
 præterea etiā illis & Iesū resurgēs spiritū sanctū. Sic, n. scribit in
 euangelio: insufflauit: & dixit eis: accipite spiritū sanctū. Quo
 certe significaret se esse, quo uiuimus deo, & sine quo mortui su-
 m⁹: ostēderetq; se, qui iā instaurabat hōem, fuisse ipsum, qui illū
 condiderat. Quemadmodū enim formato homine de limo ter-
 ræ, inspirauit in faciē eius spiraculū uitæ: ita resurgens iam, con-
 gregatisq; primis illis ecclesię suiq; corporis membris, insufflat:
 impellens scilicet eos interius spiritu sancto ad cœlestia, & uiui-
 ficans. Vnde & in symbolo patrum uiuificantem spiritum san-
 ctum confitemur. Neq; uero duabus his tantū uicibus missus
 est spiritus sanctus: sed pluribus etiam, & frequenter initio eccle-
 siæ in igne descendit in baptizatos, ad fundandā & confirman-
 dam euangelii doctrinā, & Christianæ fidei religionē tunc in-
 cipientē. Quo tempore spiritus sanctus primæ illi ecclesiæ mul-
 tis modis fuit familiaris. Nūc uero iam fidei religione fundata,
 inuisibiliter tantū & spiritaliter spiritus sanctus mittit. Ac quā-
 uis nō ita sensibiliter & aperte, sicut initio ecclesiæ: non tamen
 minus certe & uere est nunc, q̄ tunc fuit assiduus & familiaris
 ecclesiæ. Non ergo tantum spirit⁹ sancti personā, sed hęc etiā,
 quā declarauimus, eius assistentiam his uerbis symboli creda-
 mus nobis a sanctis apostolis significatā.

Psa. 103.

Psa. 118

Luc. 22

Ioan. 16

Ioan. 20.

Gen. 12

Act. 4.

10.

8.

19.

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

Caput XV. de ecclesia, uniuerſitate, & ſanctitate eius.

SANCTAM ECCLESIAM Catholicam .

Merito poſt ſpiritus ſancti conſeſſionē conſitemur eccleſiam, eius ſanctitatē, & uniuerſitatē. Eſt, n. ipſe ſpiritus ſanctus (ut iā ex proxime dictis poteſt ſatis conſtare) eccleſiæ ſpiritus, atque illius anima, & uiuificator. Vnde & paulo ante diximus, nos in patrum ſymbolo in ſpiritu ſancto uiuificatore ſaſteri credere. Nam eccleſia ipſa corpus eſt Chriſti: ita dicente

1. Co. 12 Paulo fidelibus: Vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro, Spiritus uero ſanctus, eſt ſpiritus Chriſti: ſicut etiam Paulus ſcripſit: Miſit (inquit) ſpiritus filii ſui in corda noſtra.

Rom. 8 Eſt ergo ſpiritus ſanctus, eccleſiæ etiam ſpiritus atque anima: qui illam uiuificat & format. Quare clamat Paulus: ſi quis ſpiritus Chriſti non habet: hic non eſt eius. Recte igitur poſt ſpiritus ſanctum ponimus eccleſiam in conſeſſione noſtræ fidei: dicentes: Sanctam eccleſiam. Vbi ſtatim aduertendū eſt, nō ſine certa explorataq; ratione apoſtolos ommiſſiſſe hic particulam in . Dixerunt enim, Credo in ſpiritus ſanctum: & tamen non ſubiecerūt: in ſanctā eccleſiā: ſed tantū, ſanctā eccleſiam. Credere, n. in aliquē, ſignificat credētes tendere in eum, tanq̄ in ultimum ſummumq; bonū noſtrū: quod ſoli deo eſt debitum. Hinc creditis (ait Chriſtus) in deum: & in me credite.

Ioan. 14 Nam Chriſtus uerus eſt deus. Eccleſia uero non eſt deus: ac ideo non credendum eſt in ipſam. Verū credere aliquem, eſt de eo per fidem aliquid cognoscere: ut credimus beatam Mariam eſſe perpetuam uirginem, & eſſe dei matrem. Quo etiam modo credimus

credimus sanctam ecclesiam Catholicam: hoc est, credimus ipsam sanctam esse, atque Catholicam, De quibus licet nonnulla in priori explicatione symboli dixerimus: deinde etiam, cum de actu fidei atque implicita fide loqueremur, addiderimus alia quædam: quæ nunc mente teneri maxime putamus esse necessarium: poscit tamē hic locus, ut rem hanc altius ingrediamur, atq; pro nostra facultate hanc de ecclesia fidem & lucidam & suauem faciamus. Quamobrem tria hæc uerba, Ecclesiam, sanctam, catholicam, seorsum, atq; eorū cohærentiam opus est imprimis explicemus.

Ecclesiæ nomen usitatissimum in scriptura sacra, hominum congregationem siue coadunationem, atque conuocationem significat. Homo porro politicum est, atque sociale animal natura ipsa productū: ac necessitate & naturali affectu societatem amat & colit: conuenitq; libenter cum aliis non corpore tantum in unum locum: sed mutua etiam quadam participatione & usu officiorum, artium, aliarumq; rerum: inuicem ea & communicans & recipiens. Nec enim recte potest homo aut uiuere, aut uitæ humanæ bonum aliquod consequi, uel possidere: nisi auxilio & ope aliorum: cū quibus necesse est eū conuenire, illisq; se coaptare, ac amicum facere. Hinc diuersæ ortæ sunt hominum politæ, respublicæ, & societates: aliæ quidem aliis ordinatiores, & superiores: aliæ uero aut inordinatæ omnino, aut aliis minus ordinatæ, atq; inferiores. Cum autem uel ob principium aliquod naturale, ut patrem, aut patriam: uel ob propriam uoluntatem congregentur homines: necesseq; sit sic congregatos sapius conuocari & conuenire, aut per capita ipsa maioresq; suos, aut per se ipsos, tractaturos uidelicet auditorosq; quæ illi rei publicæ conseruandę, ornandęq; conueniant: uocatur ecclesia tum ipsa respublica: tum illius congregatio ac conuentus. Vnde Psal: Exaltent eum (ait de deo) in ecclesia ple. psal. 106

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

bis, Vbi ecclesiam conuentū uocat: plebem uero singulos apud
 se manentes. Atq; in hac significatione in actis Apostolorū de
 Act. 19. seditione Ephesi contra Paulum dicitur: Erat enim ecclesia con-
 fusa: & plures nesciebant, qua ex causa conuenissent. Quo in lo-
 co etiam scriba ait: si quid autem alterius rei quæritis: in legitima
 ecclesia poterit absolui. Et rursus ibidem additur: cum hoc
 Acto. 9. dixisset: dimisit ecclesiā. Item & populus ipse multitudoq; dicitur
 ecclesia: ut in illo loco actorū: ecclesia per totam Iudeam ædifica-
 batur, ambulans in timore dñi: & consolatione spiritus sancti
 replebat. Vbi sumitur ecclesia pro omnibus credentibus. Sic in
 Psal. 25. uenitur bona & mala ecclesia: ut in Psalmis: odiui (ait Dauid) ec-
 clesiā malignantiū: & de liberali pecuniāq; contemptore dicit
 Eccli. 31. sapiens: Eleemosynas illius enarrat oīs ecclesia sanctorum. Ac
 quamuis diuersæ essent ecclesiæ apud hōes, ipsorū consensu at-
 que industria & congregatæ & unitæ: in quibus uitæ cōmodita-
 tes, terrena bona, pax, & quies quærebantur: semper tamen oēs
 curarunt, ut ad uirtutē hōes adducerent, ac deterrerent a uiciis,
 præmia bonis, & malis poenas legibus ac iudiciis constituentes.
 Verū præualente naturæ nr̄e corruptione ignorantiaq; nulla
 ecclesia, nulla respublica, nullaq; institutio esse potuit: quæ suffi-
 ceret uel continere hōes intra ueritatis, recteq; rationis metas:
 uel eos ad uera perfectaq; bona dirigere: immo in illis omnibus
 regnauit diabolus, & idololatria, maximū malū, præualuit. Quā-
 obrem oēs illæ satanæ erant synagogæ, & ecclesiæ illi dicatæ
 ac subditæ. Placuit uero summæ dei bonitati & gratiæ, homines
 ad altiora (qualia sunt æterna præmia) suamq; participandā glo-
 riā erigere: idq; dñs sapientissimus & optimus, modo homini ap-
 to, hoc est, politico atque sociabili fieri uoluit, suauissime cun-
 cta disponens, atque regens. Itaq; deus in hac spe & gratia ho-
 mines in cognitionē sui & cultum congregauit ab initio mundi:
 habuitq; ecclesiā suā primū, paruulā & incipientē sub modica
 atque confusa sui ipsius cognitiōe & spe salutis: quā deinde sem-
 per

per ad altiora promovit: quo usq; Iesus dei filius & verus homo apparuit, ac plenam dei cognitionē, salutemq; cōtulit nobis: in quibus congregari præcepit ex toto orbe fideles, ponens eos in diversis locis, gradibus, atque functionibus, atque hoc modo ex eis ædificans hanc rem publicā, civitatemque vere suam: de qua dicebat ipse deus: *Ædificabo ecclesiam meā: & portę inferi nō præualebunt aduersus eam.* Et Petrus fidelibus: ipsi (inquit) tanquam lapides vivi superædificamini in domos spirituales. Et Paulus de Christo loquens: in quo (ait) & vos coædificamini in habitaculum dei. Inhabitat enim deus verissime in hac sua ecclesia: in cuius typum oīa, quæ de Hierusalem illa nobili civitate dicta sunt, intelligimus fuisse dicta: eaq; congruentius & verius huic civitati spirituali, q̄ illi terrenæ, quę huius erat umbra, cōuenire credim⁹. Etenim hæc est, in qua magnus est dñs, & laudabilis nimis. Hęc est, quæ fundat̄ exultatione uniuersę terrę: & in cuius domib⁹ cognoscit deus. Hęc est deniq; vera illa ciuitas Hierusalē: quā Ioan. in Apoca. de cœlo descēdentē vidit: quoniā initiū illius ortusq; nō e terra, neq; ex sapientia aliqua & uirtute creata, sed a deo ipso est. Quare merito eā uocat scriptura sacra regnum cœlorum. Est enim respublica hæc, societas hominum supra naturam suam ad deum ipsum uitamq; æternam a perditione peccati seruituteq; eleuatorum, atq; iuxta diuinas regulas institutaq; uiuentiū. Est ergo ea dei opus: qui solus potuit homines in hac fide & spe ad hanc societatem adducere, atq; eos in illa conseruare ac regere, dignosq; ministros & cooperatores suos designare. Vnde Paulus clamat, Corinthios de terrenis a sectis diuersis: Quid igit̄ est Apollo? Quid uero Paulus? ministri eius, in quem credidistis, & unicuiq; sicut de⁹ dedit. Ego plantaui: Apollo rigauit: sed deus incrementū dedit. Itaq; nec qui plantat, est aliquid, neq; qui rigat: sed qui incrementum dat, deus. Credim⁹ igitur in primis homines in hac fide, in hoc dei cultu, & Christi institutione congregatos & unitos uerā esse ecclesiam dei, & Christi hæreditatem, ab idolis ipsius morte

Mat. 16.

1. Pet. 2.

Ephē. 2.

Psal. 47.

Apoc. 2.

1. Cor. 1.

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

psal. 32 redemptam. Hinc Dauid: Beata gens (ait) cuius est dominus deus eius: populus, quem elegit in hæreditatem sibi.

Hanc ecclesiam Catholicam credimus: hoc est, uniuersalem: quoniam non ad locum aliquem, siue conditionem hominum est contracta: sicut fuerat olim Synagoga ad Israeliticæ gentis coarctata terminos: in quam nemo nisi circumcissus intrare poterat: quæq; nullibi altare aut templum habuit, nisi Hierosolymis, aut certe in uno duntaxat loco. Ad ecclesiam uero nostram præcepit opulentissimus & benignissimus ille Paterfamilias a plateis, a uicis, a uis, & a sepibus adduci omnes, uel debiles, & claudos, sine ullo delectu. Nã nõ est in ea (ut Paulus ait) masculus aut fœmina, barbarus aut Scytha, Iudæus uel gentilis: sed omnes unum sumus in Christo: corpore quidem & loco disiuncti: sed coniuncti spiritu. Vbiq; sunt altaria: ubiq; sacrificia: ubiq; templa uera spiritaliaq;: quod & dominus per Malachiam prædixerat: in omni loco (inquiens) offertur nomini meo oblatio munda. Ac licet ubiq; illa sint: unum tamen sunt illa omnia: sicut & nos omnes sumus. Neq; ad certum tempus aliquod est hæc ecclesia instituta: quemadmodum illa, quæ sub Moysse fuerat, synagoga, usque ad tempus uisitationis, saluatorisq; aduentum sub carnis iusticiis manens: sed est usq; ad finem sæculi permansura: iuxta illud uerbum Christi: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem sæculi. Immo uero hæc ecclesia, quam consistemur, ab initio ipsi sæculi usq; ad finem extenditur, semper sub eodem deo ad eundem tendens finem: non tamen semper in eodem statu aut dispositione perseverans, nec omnino eisdem uel legibus, uel institutis militans: quam merito in solenni symbolo apostolicam uocant patres. Sunt enim Apostoli sancti primitiæ atque fundamenta ecclesiæ. Nam murus eius (scribitur in Apocalypsi) habet fundamenta duodecim: & in ipsis nomina duodecim apostolorum & agni. Quæ quidem dicta esse plane intelligere possumus

possumus de hoc symbolo : quod murum ecclesiæ merito apel-
 lare licet: ubi sunt hæc duodecim fundamenta, sanctorum apo-
 stolorum insignita nominibus : per quos tum propagatur atq;
 extendit ecclesia nostra ad oēs & nationes & gentes, & ad om-
 nia tempora: tum etiam Prophetis & prioribus patribus copu-
 latur: dum quod illi sub signis & ænigmatibus docuerunt, ipsi
 aperte prædicant. Quare ænigmata illa & signa, illi hominum
 puericiæ convenientia, ut circumcisio, & oblatio uitulorum atq;
 aliorum omnium, iam cessarunt: permansit uero eadem fides,
 ac spes, & eiusdem dei cultus. Per hos etiam Apostolos ad con-
 sequentes patres, doctores, & episcopos, atque ad Concilia de-
 riuatur ecclesia: quemadmodum re ipsa apertissime constat, an-
 te mille annos in uniuerso orbe, ecclesias, episcopos, & Chri-
 stianos fuisse in maximo numero. Itaq; plane tunc uidere licuit *Mal. 1. 6*
 illud dictum domini: Ab ortu solis usq; ad occasum, magnum
 est nomen meum in gentibus: item illud promissum patris im- *Psal. 22*
 pletum: Dabo tibi (dicentis filio) gentes hæreditatem tuam, &
 possessionem tuam terminos terræ. Verum iam, ita hominum
 peccatis, malicia, atque ingratitude id iustissime meritis, uide-
 mus maiorem orbis partem obscuratam esse infidelitatis tene-
 bris, & erroribus, sectisq; uel omnino Christi euangelium non
 agnoscentium, uel illud superbia, & prauitate propria corrup-
 pentium. Atq; eo hæc errorum nebula oculos plurimorum ex-
 cæcans, peruenit: sic contracta est lux illa euangelica, & dilatata
 malicia: ut quæ sit, & ubi sit hæc ecclesia dubitari a nonnullis ui-
 deam. Quod maxime hæreticorum calliditate factum est: qui
 semper conantur ecclesiã obscurare: gloriose se cognominan-
 tes euangelicos: alios uero ignominiose appellâtes papistas &
 idololâtras: quemadmodum & olim Augustini tempore dona-
 tistæ uocabant se mundos & apostolicos: cæteros uero omnes
 immundos: ut uel hac ratione saltē dubios, instabiles, & uacil-
 lantes reddant pios simplicesq; fideles. Sed nos illis solum pu-
 Y tamus

-INSTITVTIONIS CHRISTIANÆ

ramis esse respondendum, præsentiam Christi in sua ecclesiâ
 ita perspicuam, apertamq; esse: ut nō sit necesse interrogare, aut
 quærere de illius signis. Ac sane istorum uenenosam callidita-
 tem & indicauit Christus, & nobis fugiendam esse admonuit: &
 dicent (inquiens) uobis: Ecce hic, & ecce illic. Nolite ire: nec se-
 ctemini. Nam sicut fulgur coruscans de sub cœlo, in ea, quæ sub
 cœlo sunt, fulget: ita erit filius hominis in die sua. Ita etiam erit
 fides: ita apostolorum doctrina: ideoq; ita & ecclesia. Sic enim
 ait dñs alibi post eadem fere uerba: Vbiunq; fuerit corpus, il-
 luhuc congregabuntur & aquilæ. Quasi diceret: ut cadauer mul-
 titudine aquilarū auiumq; cæterarum illhuc aduolantium di-
 gnoscitur: sic sanctarum aquilarum, hoc est, doctorū, patrumq;
 frequentia ad Christum aduolantis, & ad illius præsentiam ac-
 currentium, eiusq; non cadauer mortuum, sed uiuum corpus
 sancto odore, interioriq; gustu agnoscentium, ecclesia dignosci-
 tur. Ex quibus omnibus constat adeo uisibilem hanc esse ec-
 clesiam & certam: ut extremæ sit cæcitatæ eam non uidere; si-
 biq; & ignorantæ suæ tribuere debeat, qui de ea dubitat. Hæc
 uniuersalis est, & totius orbis: hæc complectitur omnes aposto-
 lis, doctrinæ, authoritatîq; eorum adhærentes: a quib; qui se se-
 parant, quantumuis multi magniq; sint, singulares se, atque præ-
 cisos ostendunt: neq; unquam possunt nomen eorum, a quibus
 se separant, retinere. Quod & beatus Augustinus tempore suo
 optime aduertit: scribens nunquam ita præualuisse hæreticos,
 ut Catholicorum nomen obtinerent: quod nunc etiam, uel ip-
 sis hæreticis consentientibus, uidemus. Alii, n. Protestantes uo-
 cātur: Alii anabaptistæ: alii Georgiani: alii aliis nominib;. Nos
 uero uocamur Catholici: quoniam perstamus in societate illa
 patrum: ac licet peccatores, affectuq; ab illis longe diuersi: co-
 gnitione tamen fideq; sumus illis coniuncti in eadem ecclesia:
 damnantes, quæ illi: probantes, quæ illi: & deniq; credentes,
 quæ illi. Itaq; non est necesse roganti, quæ sint uniuersalis eccle-
 siæ signa, aliud respondere, quā nos uidere a Petro huc usq; num-

Luc. 176

Mat. 24.

quã defuisse pontifices Romanos illi succedentes, atque ab il-
 lius cæterorumq; apostolorum tempore fuisse episcopos, & do-
 ctiores ab eis missos, continuo semper ordine usq; ad nos: item
 hos docuisse: alios ab eis edoctos fuisse: itẽ hos tradidisse sacra-
 menta: alios suscepisse ab illis Baptismũ, Ordinem, & reliqua
 Christi mysteria. Scimus autẽ ab his separatos esse, qui sacrifi-
 cium missæ, purgatorium, uota perpetuæ castitatis, sanctorum
 inuocationem, & cætera huiusmodi negarunt. Pleni namq; sunt
 doctorum libri, & uniuersa ecclesia uocibus ac apertis testimo-
 niis, quibus semper ita factum fuisse, clamant. Nam Cyprianus,
 Augustinus, Cyrillus, Origenes, Hieronymus, Ambrosius,
 Chrysostomus, omnesq; alii patres id cõscribunt & cõtestant. Se-
 gregent ergo se proprii sensus amatores, cæcutiant, clament:
 nos uero a sanctorum patrum continua succedenteq; semper
 sententia & fide ne segregent: certos omnino neminem extra
 ecclesiam hanc uniuersalem esse, nisi qui ab eius discedit fide,
 quiq; obstinato iam animo reliquit eius magisteriũ & unitatẽ.
 Habet enim bonos, & malos hoc regnũ cœlorum: multiq; sunt
 uocati ad hanc fidẽ: nec tamen oēs sunt electi, aut sancti. Sunt
 item in hac area iusti uelut triticum: sunt peccatores, tanquam
 palea: quo usq; permundet deus, iuxta Ioannis Baptistæ prædi- Mat. 3.
 cationem, aream suam, & triticum congreget in horreum suũ,
 & paleas comburat igni inextinguibili. Sunt habentes fidem: Mat. 7.
 sunt miracula facientes: quib; diciturus est Christus: nescio uos. Mat. 23.
 Sunt deniq; uirgines prudentes: sunt fatuæ: omnes quidem læ-
 pades, atq; fidei lumen deferentes: sed non oēs admittendæ ad
 nuptias. Nõ ergo necesse est inuisibilem ecclesiã dicere: quasi non
 sit ex eccl'ã, nisi qui spiritũ sanctũ habeat: neq; necesse est occultã
 aut absconditã facere: quasi nõ sint certa illius signa, uisibile sa-
 cramentũ Baptismatis, exterior hæc fidei confessio, & consensus
 cõ patrũ doctrina: quæ quidẽ nos aperte faciunt eccl'æ catholicę
 mēbra, ipsamq; ecclesiã constituunt & ædificãt: perficit uero nos
 charitas, decorantq; uirtutes cæteræ. Y ii Postre-

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

Postremo & sanctam hanc fatemur ecclesiam, hoc est, mundam, & firmam, ac deo dicatam & consecratam. Hoc enim sanctitatis nomen inuit: quemadmodum est passim in scriptura sancta uidere. Vocantur enim dies, loca, uestes, aliaq; sancta: quod deo sint dicata: sicut & de primo genito scribitur: sanctum domino uocabitur. Dicuntur etiam ipsi homines sancti: ut in illis dei uerbis saepe iteratis: sancti estote: quia ego sanctus sum. Hoc est, mundi. Nā alio loco id explicans deus, addit: ne polluat is animas uestras. Quæ omnia huic ecclesiæ Christi aptissime pleneq; conuenire, & ratione apertissima, & testimoniis scripturæ sacræ plane patet. Etenim Christus (ut ait Paulus) dilexit ecclesiam suam, & se ipsum tradidit pro ea: ut illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in uerbo uitæ: ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi: sed ut sit sancta & immaculata. Quid potuit clarius dici? Si Christus tradidit se pro ecclesia, ut eam sanctificaret: quis illam coinquinabit? Nam si deus (ait idem Paulus) pro nobis: quis contra nos? Deus est qui iustificat: quis est qui condemnet? Si igitur in ecclesiam non intratur, nisi per lauacrum aquæ uerbo uitæ coniunctum: ac si finis omnium, quæ fiunt in ecclesia, est, ut ea Christo tandem coniungatur gloriosa, nō habens maculam, aut rugam: merito profecto dicemus sanctam esse ecclesiam & ob principium, & ob finem. Hinc fidelibus Paulus, numeratis non paucis peccatorum generibus: hæc quidem (inquit) aliquando fuistis: sed abluti estis: sed sanctificati estis: sed iustificati estis in nomine domini nostri Iesu Christi, & in spiritu dei nostri. Iure ergo optimo sancta ecclesia dicitur: cuius ianua Baptismus sanctificans est: cuius omnis labor & cura ad sui sanctificationē tendit: cuius scriptura sancta quoq; diuinæ est (Eloquia enim domini, ait Psalter, eloquia casta, argentum igne examinatum, purgatum septuplum) in qua ministeria etiam atque officia sancta sunt (Nam Paulus

Paulus de deo inquit: qui idoneos nos fecit ministros novi 2. Cor. 3
 testamenti: non litera, sed spiritu) & in qua deniq; perpetuus
 neq; unquam deficiens est fons, patens abluendis peccatori- Zach. 13
 bus, & menstruatae illi mulieri, sanguine scilicet Christi: De
 quo Ioannes ait: lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Apo. 14
 Neq; uero sancta ecclesia dicitur, quod soli sancti ad magnam
 hanc domum dei pertineant (satis enim probauimus esse in ea
 paleam & triticum: bonos & malos) sed tum quod hoc agat cū
 omnibus, & in hoc labore, ut sint sancti: tum etiam quod in ea
 nunquam defuturi sint sancti, & perfecti uiri: iuxta illud Chri-
 sti: Ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consumatio- Heb. 94
 nem saeculi. Cum autem scripserit Paulus Christum exauditū
 esse pro sua reuerentia: non potest certe illa eius oratio ad pa- Ioan. 170
 trem inefficax esse: Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos
 dedisti mihi: ut sint unum, sicut & nos. Sanctifica eos in uerita-
 te. Et ego pro eis sanctifico me ipsum: ut sint & ipsi sanctifica-
 ti in ueritate. Non pro eis autem rogo tantum: sed & pro eis, qui
 credituri sunt per uerbum eorum in me: ut oēs unum sint, sicut
 tu pater in me, & ego in te: ut & ipsi in nobis unum sint: ut cre-
 dat mundus, quia tu me misisti. Et ego claritatem, quam tu de-
 didisti mihi, dedi eis: ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Ego
 in eis, & tu in me: ut sint consumati in unum, &c. Sunt itaq; in
 ecclesia sancti & perfecti: atq; hi sunt nobilissima ecclesiae por-
 tio: uerū illi non respuunt, neq; didignantur peccatores: sed su-
 stinent, expectant, & fouent eos, laborantq; ut sint & illi sancti:
 quod aperte docuit nos Christus in euangelio: si peccauerit Mat. 184
 (inquiens) in te frater tuus: uade, & corripe ipsum. Ergo etiam
 si peccet: frater tuus est, atq; membrū quoq; ecclesiae. Nā addit: 1. Cor. 5
 si te non audierit, dic ecclesiae. Et Paulus quasi hoc dictū Chri-
 sti explicans, dicit: si is, qui frater nominat inter uos, est forni-
 cator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebrio-
 sus, aut rapax: cum huiusmodi nec cibum sumere. Quam sen-
 tentiam

INSTITVTIONIS CHRISITIANAE

tentiã ostendens se ferre in eos, qui ex ecclesia sunt, subiicit sta-
 tim: Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, iudicare? nonne de
 iis, qui intus sunt, uos iudicatis? Nam eos, qui foris sunt, deus iu-
 dicabit. Plane igitur testatur ideo se in ebriosos, & rapaces fra-
 tres sententiam ferre: quoniam intus sint in ecclesia: eos uero,
 qui non sunt ex ecclesia, dei iudicio relinquit. Interim tamen
 uide quomodo Paulus se habeat erga eos, in quos sententiam
 tulit. Exhibet enim se matrem peccatorum oim, suscipit eos,
 obsecrat, comminatur aliquãdo, & tandem ait: filioli mei, quos
 Gal. 4. iterum parturio, donec formetur Christus in uobis. Vellem au-
 tem esse apud uos modo, & mutare uocem meã: quoniam con-
 fundor in uobis. Vide matrem piissimam & clementissimam, fi-
 liorum perniciem desilentem, eorum mala propria existiman-
 tem, & materna ubera atq; amorem ostendentem. Nam uellem
 (inquit) apud uos esse, & mutare uocem meam. Atqui hoc Pau-
 lus peccatoribus dicit, iisque, qui a ueritate errauerunt. Recte er-
 go peccatores ab hac sancta ecclesia excludere conantibus, il-
 lud euangelii dicemus: Euntes discite, quid est misericordiam
 Math. 9. uolo, & non sacrificium? non enim uenit Christus uocare iu-
 stos, sed peccatores. Ac sunt ii similes Phariseis illis: qui se mun-
 dos existimãtes, peccatores abominabantur: & in quos Esaias:
 Esai. 65. qui dicunt (ait) recede a me: non appropinques mihi: quia im-
 mundus es. Boni uero & sancti iuxta saluberrimã Pauli admo-
 Gal. 6. nitionẽ, cum preoccupatum uident hõem in aliquo delicto, non
 scandalizant, neq; illum detestantur: sed instruunt in spiritu leni-
 tatis, considerantes seipfos: ne & ipsi tententur. Itaq; iusti uiden-
 tes peccatores, se quoq; peccatores, facileq; posse in eadẽ pecca-
 ta labi agnoscunt: peccatores uero considerantes iustos, se ppter
 eos & sustineri, & intra ecclesiã esse a deo permitti fatent: quã
 uerissime locus est sanctitatis. In ea namq; nihil ad sanctitatem
 necessarium aut utile, nihil ue ad eã homines promouens deest.
 Ex qua ecclesiã sanctitate peccatoribus, nisi respicant, nihil uti-
 litatis

litatis accrescet: immo durius illis imminet iudicium: quoniam inter sanctos, atque in sanctitatis loco prophani & impii extiterunt. Quare merito dicetur eis illud *Esaia*: in terra sanctorum inique gessit: non uidebit gloriam sempiternam: item illud euangelii: *Amice*, quomodo huc intraisti, non habens uestem nuptialem? Ligatis ergo pedibus & manibus proiicite eum in tenebras exteriores. Iam ergo utcumque hanc ecclesiam Christi, & sanctam, & catholicam esse ostendimus, uereque dei domum, & habitaculum a sola dei & potentia & sapientia constitutum. Ipse enim solus potuit ex hominibus peccatoribus, damnationisque & irae filiis congregationem & rempublicam facere tum humanam, atque humano more: tum etiam sanctam. Quae duo certe difficile, & impossibile erat coniungere. Quomodo enim ecclesia hominum congregari posset: si non esset humana, catholica, certa, conspicua, atque uisibilis? Si uero esset humana, catholica, certa, & uisibilis: quomodo esset sancta? Cum uera sanctitas spiritus sancti opus sit, atque gratiae dei: de qua nemo certus esse potest: quaeque nullo modo conspici ualeat. Verum deus immensa sua sapientia haec sic coniunxit: ut certum sit, quis sit ex sancta hac ecclesia: non tamen ideo de cuiusquam sanctitate certo constet. Oportet igitur, ut haec credentes & confitentes, nos met ipsos interius consideremus & discutiamus: ne sanctitatem hanc ecclesiae & pulchritudinem nostris indignitatibus polluamus, & deturpemus. Grauisimum enim futurum est iudicium iis, qui non sancte in tam sancta ecclesia uixerint.

*Esaia, 26.**Mat. 22.*

Caput XVI. de unitate ecclesiae, & eius capite,

SANCTORVM COMMVNIONEM.

Nihil iam ad integram cognitionem eorum, quae ad ecclesiam pertinent, reliquum esse uidebatur, quam ut de eius unitate tractarem: ad quam hic locus proprie pertinet. Fatemur, non esse inter fideles omnes communionem quandam, atque connexionem,

nem,

INSTITVTIONIS CHRISTIANÆ

nem, tanquam inter unius communitatis & reipublicæ membra. Nam quamuis omnes eadem crederemus, eadem sacramenta haberemus, & eidem subiiceremur domino & saluatori nostro Iesu: sitamen quælibet ciuitas, aut regnum nihil cum altero haberet commune, neq; alteri uniretur: essent quidem tot ecclesiæ, quot ciuitates, aut regna. Quare non in iis solum dictis omnes fideles conueniunt: uerum etiam inter se multa habent communia, & sibi mutuo illa conferunt, & alii ab aliis recipiunt. Ex quibus hominibus existit una ecclesia: quæ una ciuitas, unum regnum, una familia, & uerissime unum corpus esse dicitur. Etenim regnum unum est: in quo rex est Christus: iuxta illud: Constitus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius. Principes autem ac gubernatores eius sunt apostoli, eorumq; successores. Vnde ipsi Christo dicitur: Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos super omnem terram. Plebs uero, & omnes reliqui, ciues sunt: iuxta suum gradum obtinens quilibet proprium locum. Item domus una ac familia dicitur: in qua pater & dominus est Christus: serui ac ministri sunt apostoli & eorum successores: Quo nomine Paulus & se & similes uocauit, ad Corinthios scribens. Filii uero sunt omnes fideles. Deniq; corpus etiam unum uocatur: cuius caput est Christus: a quo omnis gratia, omnis motus, atque gubernatio est in ecclesia. Namq; Paulus de eo: ipsum (ait) dedit caput super omnem ecclesiam, quæ est corpus eius. Nos autem huius corporis membra sumus: ut abunde Paulus declarat: sicut in uno corpore (scribens) multa membra habemus: omnia autem non eundem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo: singuli autem alter alterius membra, habentes donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes. In quibus omnibus admonemur maxime de charitate, atque fraterno amore præstando omnibus, ubicunq; terrarum sint, in Christum credentibus; quo nos inuicem agnoscamus,

Psal. 2.

Psal. 44.

1. Co. 3

Ephc. 1.

Rom. 12

camus,

amus, atque simus tanq̄ unius ciuitatis ciues, domestici unius
 familiae, & (quod plus est) tanquam unius corporis membra, in
 iis maxime, quæ ad dei cultum, salutemq̄ æternam pertinent: 1. Co. 12
 cuius nos etiam Paulus admonet: ut non sit (inquiens) scisma
 in corpore, sed in id ipsum pro inuicē sollicita sint membra. Et
 si quid patitur unum membrum: compatiuntur omnia mem-
 bra: siue gloriatur unum membrum, congaudent omnia mem-
 bra, Quanquã enim sunt Parochiæ, diœceses, prouinciæ di-
 uersæ, atq̄ in harum qualibet diuersa instituta, societatesq̄, &
 animæ, quæ Christo domino militant, eiq̄ placent: una tamen
 est ex his omnibꝫ ecclesia: quemadmodum pulchre sponsus in Can. 6.
 canticis clamat: Sexaginta (inquiens) sunt reginæ, & octoginta
 concubine, & adolescentularum non est numerus. Vna est co-
 lumba mea, pfecta mea: una est matri suæ, electa genitrici suæ:
 uiderunt eã filia, & beatissimã prædicauerunt: reginæ & concu-
 binæ, & laudauerunt eã. Etenim oēs singulares ecclesiæ, cœno-
 bia, ordines, & singulorum animæ hanc admirantur, & laudant
 unam electam ecclesiam omnium fidelium. Hanc igitur eccle-
 siæ unitatem, quæ hodie acerrime oppugnatur, & diserpitur,
 hoc uerbo, sanctorum communionem, ab apostolis significa-
 tam, conabimur piis & humilibus notam reddere: idq̄ Pauli ex-
 cussa sententia, quam de hac diligentissime protulit, faciemus. Ephē. 4.
 Sic igitur scripsit beatus ille apostolus: solliciti seruare unita-
 tem spiritus in uinculo pacis. Vnum corpus, & unus spiritus:
 sicut uocati estis in una spe uocationis uestræ. Vnus dominus,
 una fides, unum Baptisma. Vnus deus & pater omnium: qui est
 super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Quibus uer-
 bis uide quanta diligentia Paulus explicet unitatem ecclesiæ.
 Primum enim quomodo, aut in quibus unum debeamus om-
 nes esse ostendit. Deinde & causas hanc ipsam unitatem uel
 conseruantes, uel producentes docet. Nam cum dicit: unum,
 corpus, & unus spiritus: indicat in quo debeamus esse unum.

INSTITUTIONIS CHRISTIANAE

Cum autem addit: sicut uocati estis in una spe uocationis, & c: uides originem & causas eius unitatis. Vult igitur Paulus eam unitatem esse unitatem corporis & spiritus; ut scilicet simus & unum corpus, hoc est, ueluti unius corporis membra: & unus spiritus, hoc est, idem & amantes, & odio habentes. Caterum præter hoc, quod primo aspectu ostendunt hæc uerba: uide an non etiam illis aperte apostolus doceat, alteram esse unionem corpoream atque uisibilem, similem aliis societatibus humanis in exterioribus his actibus, mutuae amicitiae indicium, atque ipsius etiam fidei Christianae apertis signis: dum salutamus, præuenimus honore, aut etiam reddimus iis, a quibus accepimus, conuenimus in eandem domum aut mensam, & omnibus publicis orationibus assistimus, respondentes, Amen. De qua comunione fit mentio frequens in scriptura sacra. Paulus namque Corinthiis: Cum conuenitis (inquit) unus quisque uestrum psallit, doctrinam habet, apocalypsin habet: linguam habet, interpretationem habet: & alibi: conuenientibus uobis in unum, iam non est dominicam cœnam manducare. Omnia hæc exteriora sunt ac corpora societatis & unionis humane Christianaeque signa atque effectus: secundum quam uult nos apostolus esse unum corpus: ea facientes inter nos: quæ inter se solent socii atque amici: immo quæ iustius est Christianos inter se facere: qualia sunt conuenire in unum, mutuo se amare, & sibi inuicem impendere humanitatis ac amoris symbola. Quam unionem corpoream ostendit etiam Paulus gigni, atque confirmari a Baptismi sacramentorumque unitate. Sunt enim nobis omnibus eadem sacramenta. Verum neque eam unionem exteriorem uult Apostolus satis esse nobis, ecclesie Christi filii: sed addit: unus spiritus: ut scilicet non solum in his corporeis uniamur inuicem, sed multo etiam magis in spiritualibus: mutuis nos orationibus & bonis operibus commendantes deo, atque adiuuantes: dum nemo tantum sibi orat, aut sibi operatur, aut corde intentioneque apud se solum manet, cum hæc operatur: sed primum quidem ministri nuncique publici ecclesie,

1. Co. 14

1. Co. 11

pro ipsa, proq; omnib⁹ suis mēbris orant, & psallūt, & sacrificāt: non ob propria tantū merita grati deo, sed magis etiā ob totius ecclesiæ dignitatē: quæ apud deū plurimū pro nobis ualeat, etiā carentibus propriis bonis operibus, aut peccatis propriis coinquinatis. Credimus, n. sanctorum oīm, non eorū solū, qui in terris degunt, sed eorum quoq;, qui fruuntur iā deo, sancta desideria, conatus, suspiria, & deniq; cætera oīa id genus deo esse præsentia, atq; tanq̄ huius ecclesie, quæ una est, merita gratissimaq; obsequia ab ipso cōspici. Credimus item sanctorū patrū mentem intentionēq; (huic autē nūc quoq; se uniuersa ecclesia unit) qui hæc publica officia instituerunt, sic recipi a deo pro iis omnib⁹, pro quibus fiunt, ut non possint non ualde omnibus prodesse. Si enim multū ualeat deprecatio iusti assidua: quantū putas totius ecclesiæ omnīq; sanctorū orationē ualere? Si in euangelio dicit Christus: si duo ex uobis cōsenserint super terrā, de omni re, quācunq; petierint, fiet illis a patre meo: quid non fiet, omnibus fidelibus consentientibus? Has ergo orationes pro peccatorū fidelīū conuersione, pro conseruatione iustorū, pro spiritalibus deniq; corporalibusq; bonis diu noctūq; profusas, sine dubio recipit deus: ex quibus ipsa ecclesie membra putrida magnā etiā capiunt utilitatē, & fructū. Præterea oēs fideles secreto orāt, coniuncti mente cæteris omnibus, atque in huius ecclesie medio dicētes: Pater noster, Da nobis, Dimitte nobis, Libera nos, &c. Quibus uerbis pro se omnibusq; fratribus postulant: qui & in bonis operibus laborantes, hoc assequunt: primū quidē, ut perfectiores se ipsos, ecclesiā totā reddant & fortiorē, & alacriorem: cui accrescit oīm mēbrorū bonū: deinde uero, ut singulis proficiant, iuentq; fratres. Hæc autē oīa spiritalia sunt, mentibusq; & cordibus conferunt, atque exercentur. Et hoc est, quod petit Paulus, uolens nos esse unū spiritū: cuius communionis causas ostendit quoq; spirituales esse: sicut uocati estis (subiiciens) in una spe uocatiōis uestre. Unus dñs, una fides, unū baptisma. Unus deus, & pater, &c. Quasi sic scripserit: iustum est, ut quemadmo-

Iacob. 5.

Mat. 18

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

dum una & eadem est in uobis spes, idem speratis, eadem uocatione uocati estis, habetis in cordib⁹ eundem spiritum ad cœlestia æternaq; bona uos erigentē, habetis eundem dñm & regem Christum, eiusdem fidei annunciatores (nam omnes eadem credidistis) & deniq; eundem deum, summum bonum, ultimūq; finem agnoscitis: ita unum non corpore tantum, sed etiam spiritu ipso sitis: cuius hæc prædicta omnia pignora & dona sunt: ac propria singulorum uoluntate inuicem uniamini in iis, quæ deus in communi contulit spiritibus cordibusq; omnium. Has ergo duas communiones sanctorum, hoc est, fidelium omnium, qui uocatione, Sacramentis, sine, institutoq; sancti sunt, hoc articulo confitemur: quibus ecclesie uera unitas constat. His autem membra iam putrida solet ecclesia priuare, abscindens ea a se, atque tanquam ethnicos habens eos, qui peccantes publice, non timent cæteros inficere, nec admoniti a pia matre, resipiscunt. Hos enim Paulus iubet sic uitari, ut cum illis nec cibum sumamus. Et Ioannes etiam prohibet, ut nec aue illis dicamus. Quod intellige dictum de obstinatis & rebellibus: non de quibusuis peccantibus. Ita namq; Christus præcepit primum admonendos esse fratres peccantes: deinde uero ecclesie denunciandos: ac postremo, si ecclesiam non auerterint, uelut ethnicos & publicanos a communibus orationibus, sacramentisq; arcendos. Participes sunt igitur ecclesie bonorum & orationum non solum iusti, sed peccatores etiam, quamdiu illis non priuantur per excommunicationem: singuli tamen pro sua mensura. Iusti porro, uti membra uiuentia, recipiunt a spiritu sancto influxū, uitam, & illius augmentum: ac recipiunt quoq; a sacrificiis, satisfactionibus, & sacramentis, etiā satisfactionem pro suis debitis, quibus sunt obligati tidq; iuxta dispensationem eorum, quibus Christus id dispensandum commisit. Sunt enim in ecclesia tales dispensatores constituti. Vnde de Paulus: sic nos (inquit) existimet homo, ut ministros Christi

1. Cor. 5

2. Ioa.

Mat. 18

2. Cor. 4

& di

dispensatores mysteriorum eius. Quemadmodum ergo sacramenta, per quæ meritorum & satisfactionum Christi participes sumus, tradidit Christus suis ministris distribuenda, non auferens sibi, cum uellet, potestatem ea communicandi sine ministris, uel Sacramentis: ita & thesaurum ecclesiæ, qui satisfactiones ac merita sanctorum continet, tradidit illis diuidendū, habens etiam eum ipse in manu sua, cum per se sine ministris uoluerit illum dispensare. Nec enim fas est credere uerbo illo, *Mat. 16* quidquid solueris super terram, erit solutum & in coelis, aliquid eorum per quæ a reatibus peccatorum solui possumus, non commissum fuisse ecclesiarum ministris. Est autem hic, de quo loquimur, thesaurus satisfactionum sanctorum ualde ad huius modi absolutionem conducens post Christi merita. Hinc Paulus: quæ desunt (ait) passionum Christi, adimpleo in carne mea *Colos. 1.* pro corpore eius, quod est ecclesia. Quare merito ecclesia, quæ huius thesauri constituta est distributrix, illum per indulgentias distribuit: quem non ipse Christus solum, sed reliqui etiam sancti, singulari tamen Christi dono & gratia congregarunt. Nam quos labores sumpsit Paulus pro ecclesia, pro qua mortuus est Christus, quomodo non conferret ecclesiæ, per ipsius ministros dispensandos? Hæc est ergo perfecta sanctorum communio: qua omnes iusti spirituq; uiuentes, ab ipso spiritu, tanquam eiusdem corporis membra, mouentur ad operandū & communicandum sua omnia inuicem, iuxta totius corporis indigentiam, & ordinationē ecclesiæ. Est enim hæc spiritalis communio perfectaq; in qua communicantes, quantum fieri potest, participes sunt mutuorum bonorum. Caterum peccatores tanquam arida membra, & quæ spiritus sancti influxui obicem opposuere, nequeunt ob bona opera ecclesiæ a suis reatibus liberari: capiunt tamen sine dubio ex orationibus ecclesiæ non parua commoda: uel dum propter illas aut non grauius tentati non labuntur in grauiora peccata, aut morte repentina

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

& sine pœnitentia nō moriuntur: uel dū etiam sapius a deo uocātur, & flagellis, aut interiori tactu ad pœnitentiā trahuntur. Quare grauissima est illa, atq; maxime timenda sententia: qua suis orationibus quempiā priuat ecclesia. Optime ergo Paulus scripsit: unum corpus, & unus spiritus. Quasi diceret: corpore & spiritu, uisibiliter, & inuisibiliter sitis uniti. Vide autem quanta ratione id sit factū a Christo. Cū enim hæc nra ecclesia, societas sit hominū, ut supra diximus: debet certe ea esse more humano instituta, habereq; quod cæteræ humanæ societates habere solent. Cum igitur hōes corporei sint, & natura sua per corporea & sensibilia cognoscant interiora & spiritalia: ideoq; nunquam conueniant in ecclesiam alicuius religionis sine uisibilibus signis, cæremoniis, atque ritibus: merito profecto in nostra ecclesia sunt sacramenta: est confessio fidei: sunt bona opera, & orationes publicæ ac manifestæ: sunt deniq; loca constituta, in quæ conuenimus. Verū quia, ut ante admonuimus, est etiā nostra hæc ecclesia superans naturam hōum, & diuina quodam modo societas: habere quoq; debuit & unitatem superiorem humanis unitatibus, & communionem spiritalem: quæ fit spiritu & animis. Vnde Paulus: Congregatis (inquit) uobis & meo spiritu cum uirtute domini Iesu.

1. Cor. 5

Porro si hoc attentius consideremus, depræhendemus quæ sit rationi prædictæ, atque nostræ naturæ consonū, unū esse su-
premiū caput, atq; præsidem in eccl'a, qui eā gubernet. Si enim uniuersalis ecclesia non est min⁹ una, quā singulæ aliæ ecclesie, quæ habent suos episcopos: necesse est habeat illa quoq; suum caput, quod uniuersis præsideat. Nam quomodo, quæso, unitas hæc fidei & oīm aliorū conseruaretur: nisi possent, quando ita expediret, conuocari oēs particulares ecclesie, essetq; unus, qui singulas ecclesias ad id posset cogere? Quando .n. res publica ulla sine potestate unius uel paucorū supra oīa, quantum uis magna, membra sua unquam fuit? Item cū singuli episcopi suis præsint

præfint ecclesiis, & eas gubernent: quis est, qui singulos uocet,
 & inter eos dissensiones ortas dirimat? Nonne quilibet respōde
 bit alteri, nihil illi se debere, atq; illo nō se esse inferiorē? Item si
 semper pluralitas principarū mala, & contra regnū optimum
 est: quomodo Christus hanc suam ecclesiam tot gubernatori-
 bus diuisit? Postremo si unitas priuatorum requiritur sub uno
 episcopo in sua speciali ecclesia: nonne rationabilius est unita-
 tem requiri episcoporum sub uno: ut hæc conferuetur tam ne-
 cessaria unitas? Sed Christus (inquiunt hæretici) caput est: ipse
 suo spiritu, & sua uirtute congregat, ac unit ecclesiam. Verum
 hæc dicentes, ita faciunt nostram hanc rempublicam diuinam:
 ut obliuiscantur naturæ atq; societatis humanæ, uelintq; non
 uisibilem hanc ecclesiam, sed inuisibilem esse. Atqui si illius
 caput & gubernator inuisibiliter de cœlo eam unit, ut uerissi-
 mum est: nec tamen reliquit ei gubernatorem uisibilem, ad
 quem uisibiliter recurrat, & cuius uocem uisibiliter audiat:
 non est profecto integra hæc respublica: cum tamen dubium
 non sit, nihil ad optime institutam rempublicam necessarium,
 deesse huic ecclesiæ. Quare nec deest illi potestas superior:
 ad quam quæstiones, causæ, & patrum ac episcoporum iudicia
 referantur. Sed ne rationib; his, quantumuis satis perspicuis,
 tantum inniti uideamur: scito legentibus antiquorum & gesta
 & uerba, ita esse apertum, uniuersam ecclesiam ab ipsis apo-
 stolis edoctam semper hæc tenuisse & perseruasse: ut non pos-
 sit id sine impudentia magna negari. Intellexerunt nanq; an-
 tiqui patres Christum dominum reliquisse ad omnia neces-
 saria in ecclesia sua ministros sufficientes: qui quamdiu illa
 maneret, eam regerent. Quare instituit dominus apostolos,
 & eis succedentes episcopos: sed uni Petro dixit: *Pasce oues* Ioan. 21.
meas: aperte ostendēs peculiare aliquid se illi supra cæteros cō-
 misisse: præsertim cum illū prius interrogasset, an supra cæteros
 ipsum amaret. Vni etiam Petro: *Ego (inquit) rogau pro te, ne*
deficiat.

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

Luc. 22
Mat. 16

deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Vni deniq; Petro: super hanc Petram (ait) ædificabo ecclesiam meam. In quibus locis sancti intellexerunt Christum primatum uniuersalemq; curam Petro commisisse, instituisseq; ministerium & gradum non finiendum cum Petro, sed perpetuo in ecclesia propagandum. Quod ne temere dicere uideamur, & ut simplicium animos (quorum utilitati hic maxime cõfulimus) omni ambiguitate liberemus: insignia antiquitatis documenta iam aduerte, hoc ipsum contestantia. Primum enim adsunt omnes successores Petri usq; ad Syluestrum, & Nicæanum Concilium, qui fere triginta numerantur: quorumq; apud omnes, qui de ecclesia historiã texuerunt, celebris est memoria. Nam extiterunt omnibus numeris perfectissimi, & sanctissimi uiri, & martyres Christi: qui nullo ambitionis, aut alterius uicij crimine a quoquã notati sunt, sed ab omnibus cõmendati: quiq; & operibus & uerbis testati sunt, totius se ecclesiæ curã gessisse, ad diuersas totiꝰ orbis ecclesias & episcopos scribentes, docentesq; certissima & maxime necessaria uniuersos fideles. Inter eos Anacletus sanctissimꝰ martyr in ecclesiæ principio, cū nondum in eam irrepisset ambitio, sed omnia sanctitate florent, sic scripsit in epistola tertia: sacro sancta Romana, & apostolica ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso domino saluatore nostro primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super omnes ecclesias, ac totum Christiani populi gregem, assecuta est: sicut ipse beato Petro Apostolo dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Vbi uir sanctus laudius recitat cætera uerba domini dicta Petro: & paulo post aperte Petrum inter cæteros apostolos primatum tenuisse docet: & licet (dicens) omnes essent apostoli: Petro tamen ab ipso domino est concessum, & ipsi inter se id ipsum uoluerunt: ut reliquis omnibus præfesset apostolis, & cephas, id est, caput, & principatum teneret Apostolatus. Quam formam ibidem scribit a Petro

Anacletꝰ
eplã. 3.

Petro

Petro traditam esse suis successoribus: de eo ita subiungens: qui eandem formam suis successoribus: & reliqui Apostoli episcopis tenendam tradiderunt. Atque post pauca episcopis ait: si quæ uero causæ difficiliore inter uos ortæ fuerint: ad huius sanctæ sedis apicem eas, quasi ad caput, refferre. In quem sensum addit plura alia. Ad Euaristum etiam sanctissimum martyrem, huius Euaristus
ep'la. 1. successorem scribunt Aphricani episcopi, quædam interrogantes: ad quos epistolâ mittit, quæ est inter suas prima: & in qua sic: Dilectio uestra (inquit) normam sequuta prudentium, ad sedem apostolicam refferre maluit, quasi ad caput, quid deberet de rebus dubiis custodire, potius quam usurpatione præsumere. Alexander quoque huic succedens, aliquot solitudine omnium ecclesiarum plenas epistolas scribit: in quarum prima, quæ Alexander
ep'la. 1. ad omnes fideles mittit, sic ait: Relatum est insuper ad huius sanctæ & apostolicæ sedis apicem (cui summarum dispositiones causarum & omnium negotia ecclesiarum ab ipso sunt domino tradita) quasi ad caput: ipso dicente principi apostolorum Petro: Tu es petrus: & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Hæc post Sixtus primi Alexandri successor, & multi alii scriptis suis confirmarunt. Ac certe in omnium illorum primorum pontificum epistolis aperte patet, curam eos gessisse omnium fidelium, atque ex omnibus orbis partibus Catholicos episcopos ad ipsos recurrisse: inter quos & beatus Cornelius martyr, qui eodem tempore, quo beatus Cornelius
ep'la. 1. Cyprianus, fuit, libro secundo suarum epistolarum, ad Orientalem quandam episcopum sic scribit: Exigit tua dilectio, frater charissime, ut ex autoritate apostolicæ sedis tuis deberemus consultationibus respondere. Et post aliquam de Sacramentis dicta, addit: super quibus hanc sanctam Romanam, ac uniuersalem ecclesiam consulere uoluisti. Quod testimonium diligenter notari uellem, contra quosdam: qui ex quibusdam, quæ huius Pontificis tempore per Cyprianum & Aphricanos episcopos acta sunt, atque ex multis Cypriani epistolis, in quibus eum semper

INSTITVTIONIS CHRISTIANÆ

per fratrem appellat, atque cum eo tanq̄ cum æquali confac er-
dote loquitur, putarunt non fuisse hanc pontificis Romani au-
thoritatē illis tēporibus agnitā. Quod ut apertius falsum osten-
damus, ipsius Cypriani audiamus uerba: qui in epistola tertia
libri primi, ubi ad Cornelium satis libere multa scribit, ex qui-
bus ansam possunt ecclesiæ hostes arripere, tandē sic ait, quorū-
dam hæreticorū taxans audaciam: Post hæc nauigare audent, &
ad Petri cathedram, atq; ecclesiā principalē, unde unitas sacer-
dotalis orta est, a schismaticis & prophanis literas ferre. Vide
quomodo uocat Romanam ecclesiam principalem, & unde sit
orta unitas. Id etiam adhuc planius undecima epistola libri ter-
tii docet, laudans hæc uerba quorundam, qui ad ecclesiam fue-
rant reuersi: Nos Cornelium episcopum sanctissimæ & Catho-
licæ ecclesiæ erectū a deo omnipotente, & Christo dño nostro
scimus; nos errorē nostrū confitemur. Quo in loco aperte pon-
tifex uocatur catholicæ ecclesiæ episcopus. Rursus in epistola
octaua li. 4. in qua se purgat, quod forte putaretur aliquid con-
tra Cornelium fecisse: Nos enim (inquit) singulis nauigantibus,
ne cum scandalo nauigarent, rationem reddidisse nos sci-
mus, & hortatos esse, ut catholicæ ecclesiæ matricem ac radi-
cem agnoscerent, ac tenerent. Et ibidem; per omnes (ait) in pro-
uincia ista positos literæ fierent, sicut fiunt: ut te uniuersi colle-
gæ nostri, & communicationem, id est, Catholicæ ecclesiæ uni-
tatem, pariter ac charitatem probarent firmiter, ac tenerent.
Vide quanta cura patres illi antiqui & sancti adhaeserint Ro-
manæ ecclesiæ. Vide etiam eam plane ab iisdem appellari Ca-
tholicā, & uniuersalē. Quod ut planius perspicias, audi quid lo-
quat beatus Lucius, Cornelii successor, & martyr sanctissimus; ad
quē extāt & beati Cypriani epistolę. Is igit̄ epistolā scribit ad Hi-
spaniæ & Galliæ episcopos: in cuius fine ita de Christo: fidē (in-
quit) beati petri nō defuturā pmisit, & cōfirmare eū fratres suos
admonuit: quod apostolicos pontifices meę paruitatis prædeces-
sore.

Cyprianus
epistola. 3.
lib. 1.

Idē epistola.
1. li. 3.

Idē epistola.
8. li. 4.

Lucius.

fores confidenter fecisse semp, cunctis est notū : quorū & pusillanimitas mea impar & minima, pro suscepto tamen diuinitus ministerio cupit pedissequa esse. Quo testimonio quid potest clarius dici? Melchiades autē sanctitate insignis, & Nicæno Concilio atque Syluestro uicinus, scribens ad Hispaniæ episcopos, sic ait: Episcopos, quos dñs tanquā oculos elegit, suo iudicio re seruauit: hocq; priuilegium beato clauigero Petro sua uice solū modo cōmisit: quod eius iuste prærogatiuū succrescit sedi, futuris hæreditādū & tenendū tēporibus. Vbi & rationē, quā supra adduxim⁹, uir sanct⁹ post pauca quadā eleganter significauit: ut inde (inquiēs) accipiāt finē iudiciorū, unde acceperunt initiū institutionū : ne quando a suo discreparent capite. Veniamus iam ad Nicēnū Conciliū: cuius autoritatē post euangelia semper suscepit uniuersa ecclesia: & ad quod tanta sanctitate & doctrina ex toto orbe uenerunt illustres episcopi. Quanquā autē nos non habemus in iis, qui circūferūtur, libris nisi uiginti capita Nicēni Concilii: in quibus nulla de hoc fit mentio: uel tam exigua, ut nihil inde certi haberi possit: immo sexto capite dicitur, quod ecclesia Alexandrina habeat potestātē super ecclesias Ægypti, Lybiæ, & Pentapolis, quia ea est antiqua cōsuetudo: & statim subiicit: sicut in ecclesia Romana mos est: ex quo posset magis uideri, Romanā ecclesiā neq; iure diuino principē constitutam, neq; omnium ecclesiarum esse supremam. Verum constat tamen plura fuisse eiusdem Concilii capita. Nam & Rurhinus lib. 10. ecclesiasticæ historiæ, Capita uiginti duo refert. Et Hieronymus testat, de libris canonicis ibi diffinitum fuisse: cum tamen in nullo horum capitum, quæ habemus, sit aliquid de iis scriptū. Et quidem hoc ipsum planissime scriptis suis tradiderunt ii ipsi: qui Concilio illi interfuerunt, scribentes ad Marcum Syluestri successorē. Inter eos, n. beatus ille Athanasius, qui in Nicēno Concilio Alexandrini episcopi diacon⁹ erat, postea factus episcopus, ad eum ita scribit: Quia inimici sanctæ

Melchias
des.

Athanasius.

INSTITVTIONIS CHRISTIANÆ

ecclesiæ dei, Arriani, a quibus quotidie expugnamur, conteri-
 mur, opprimimur, præfata septuaginta Nicæni Concilii capi-
 tula, quæ de præfata Synodo, iubente domino meo Alexan-
 dro, decreto omnium episcoporum attuli, quæ etiam coram om-
 nibus recitavi, atque transcripsi, combusterunt: optamus, ut a
 uestræ sanctæ sedis autoritate, quæ est mater & caput omni-
 um ecclesiarum, percipere per legatos presentes mereamur. Vi-
 des apertam confessionem eorum, qui affuerunt in eo Concilio:
 quique & facto ipsius Concilii, & sua confessione confirmant se-
 dis Romanæ autoritatem. Ad eos ergo beatus Marcus rescri-
 bens, eadem septuaginta capita mittit, ex ipso primo exempla-
 ri desumpta: quæ ostendit magna diligentia Romæ custodiri:
 simulque ecclesiam Romanam summam habere autoritatem,
 neque deficere eam unquam posse comprobatur ex illo loco euan-
 gelii: Ego rogavi pro te Petre, &c. Quod sane tempore Iulii, qui
 Marco successit, & ex tunc gestis, & ex Iulii uerbis fuit factum om-
 nino apertum. Nam Theodoretus lib. 4. histo. tripar. cap. 4.
 narrat Eusebium Arrianum, & socios eius calumnias in Atha-
 nasium Iulio Romano Pontifici proposuisse: ac Iulium eccle-
 siasticam sequutum legem ipsos Romam uenire præcepisse,
 atque beatum quoque Athanasium ad iudicium iuxta ecclesiasticam
 regulam uocasse: & denique Athanasium continuo uocatione
 suscepta uenisse: illos uero Arrianos non uenisse. Quo nihil po-
 test apertius dici, aut fieri ad ostendendam ecclesiæ Romanæ
 summam autoritatem. Atque de his omnibus extant ipsius Iulii
 epistolæ: in quarum prima, quam de hac causa Athanasius scribit
 ad Orientales, sic de ecclesia Romana: ipsa namque (inquit) om-
 nibus maior & prælata est ecclesiis: quæ non solum canonum
 & sanctorum patrum decretis, sed domini saluatoris nostri uo-
 ce singularem obtinuit principatum. Tu es, inquit, Petrus: &
 super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & reliqua. Et
 quæcumque ligaueris super terram, & solueris: erunt ligata & so-
 luta.

Marcus.

Theodo-
 retus. 4
 r44

Iulius
 epist. 1.

luta in cœlo & in terra. Quo in loco subiicit, a sanctis apostolis & successoribus eorum decretum fuisse, atq; ab ecclesia uniuersali semper seruatum, non oportere præter sententiam Romani pontificis Concilia celebrari, nec episcopum damnari: quoniam sanctam Romanam ecclesiam primatem omnium ecclesiarum esse uoluerunt. Ac cum multa in hanc sententiam dixisset: sub finem epistolæ hæc addit: inter beatissimos apostolos in similitudine honoris fuit quedam discretio potestatis: & cum omnium par esset electio: uni tamen datum est, ut cæteris præmineret. De qua forma (inquit) episcoporum quædam orta est distinctio: & magna ordinatione prouisum est, ne omnes sibi omnia uindicarent: sed essent in singulis prouinciis singuli, quorum inter fratres prima haberetur sententia: & rursum quidam in maioribus urbibus constituti, sollicitudinem gererent ampliolem (significantur autem his uerbis archiepiscopi, primates, & patriarchæ) per quos ad unâ beati Petri sedem uniuersalis ecclesiæ cura conflueret, & nihil usquam a suo disliceret capite. Cum autem deinde ad Iulium Pontificem scripsissent Orientales Arriani, Athanasiiq; persecutores, conquærentes, quod Athanasium, quem ipsi ex communicauerant, recepisset in ecclesiæ communionem: rescripsit ad illos pontifex longam epistolam & plenam authoritatis atq; æquitatis: in qua commemorat, quomodo Athanasius uocatus affuerit, & se ab omnibus criminibus ostenderit liberum: cuius innocentiam & sanctitatem defendit ac commendat: illorum uero calumnias & iniurias graueriter increpat, sententiamq; suam confirmat testimonio multorum capitum Niceni concilii: inter quæ citat sexagesimum sextum, paulo post testatus ampliora & abundantiora in sacro Romanæ ecclesiæ scrinio seruari. Primum ergo ab eo citatum, est illud: ut omnes episcopi, qui in quibusdam grauioribus pulsantur uel criminantur causis, quoties necesse fuerit, libere apostolicam sedem apellent, atque ad eam quasi

Caput
Concilii
Niceni.

INSTITVTIONIS CHRISTIANÆ

ad matrem, confugiant: ut ab ea, sicut semper fuit, pie fulcian-
tur, defendantur, & liberentur: cuius dispositioni omnes maio-
res ecclesiasticas causas, & episcoporum iudicia, antiqua aposto-
lorum, eorumq; successorum, atq; canonum authoritas refer-

*Athana-
sius.
Aegyptii
episcopi.*

uauit. Qua confessione & imploratione authoritatis sedis Ro-
manæ plena est epistola illa: quâ Athanasius & Aegyptii ad fœ-
licem miserunt. In ea enim pontificem Romanum miris titulis
compellant, non adultores, sed sanctissimi uiri. Nam inquit: Tu es, n. (sicut diuinū ueraciter testat eloquiū) Petrus, & super
fundamentū tuum ecclesiæ columnę, id est, episcopi, sunt con-

*Hist. trip.
li. 4. cap.
9.*

firmate: tibiq; clauis regni cœlorū commisit, &c. In quarti item
libri histo. tripar. ca. 9. de Concilio ab Arrianis Antiochiæ cele-
brato, sic scribit: sed nec Iulius interfuit, maxime Romæ presul,
nec in locū suū aliquē destinauit: cum utiq; regula ecclesiastica
iubeat, non oportere præter sententiā Romani pontificis Con-
cilia celebrari. Immensum sane esset referre oīa huius uerita-
tis testimonia, quæ ab antiquissimis & sanctissimis patribus lite-
ris sunt prodita. Quare nunc sit satis, hanc fidei basim triū reli-
quorū Conciliorū, quæ, ut sancti euangelij libros, ecclesia susce-
pit, authoritate confirmare. Constantinopolitana igitur synodus,

*Synodus
constanti-
nopolita-
na.*

quæ prima est post Nicenā, recepit Damasi literas, & quorun-
dā aliorū episcoporū, per quas Romā uocabantur Orientales
episcopi: qui cū magna humilitate rescribentes, excusarunt qui
dē iustis de causis suā profectionem: aperte tamen confessi sunt
hanc authoritatē sedis Romanæ. Nā in ea epistola, quâ licet le-

*Hist. trip.
li. 9. cap.
13.*

gere li. 9. hist. trip. cap. 13: Oratio quidē (inquit) nostra fuit,
si esset possibile, ut oēs nostras relinquentes ecclesias, desiderio
utili iungeremur, &c. Quod fuisse difficile demōstrantes: duos
episcopos mittunt: per quos (aiunt) & nostrā uoluntatē pacifi-
cā, & intentionē habentē unitatis ostendimus. In hac namq; sy-
nodo explicatus est traditū illud symboli: & unā, sanctā, Catho-
licā, & apostolicā ecclesiā, Quo etiā tempore Gratianus Chri-

stianissimus

stianissimus imperator initio sui imperii legem tulit: qua illis
 episcopis eiectis ecclesiæ redderentur, qui communionem Da. *Hist. trip.*
 nisi amplectebantur, ut Theodoretus lib. 9. c. 2. tripar. *hist. te li. 9. cap.*
 stat. Ephesina autē synodus duas dictas sequuta, in qua Cyril. *2.*
 lus præfedit, aperte quoque confirmat hanc autoritatē & unio. *Ephesina*
 nē ecclesiæ Romanæ, Sic. n. in illius prima actione, ac titulo di. *synodus.*
 citur: Congregata synodo in Ephesina metropoli, sedentibus
 deo amātissimis & religiosissimis episcopis, Cyrillo Alexandrie,
 & agente uices sanctissimi & beatissimi Archiepiscopi Roma-
 næ ecclesiæ Cælestini, &c. Quod etiā habetur in prima actione
 Chalcedonensis Concilii: ubi hæc actio fuit relecta. Postre. *Chalcedo*
 mo in chalcedonensi Concilio, quod in his quartum est & fre. *nenfis sy*
 quentissimum, neque minoris quam cætera autoritatis (fue. *nodus.*
 runt enim in eo sexcenti & triginta episcopi) hoc maxime fuit
 pro confesso habitum. In omnibus enim actionibus ante oēs
 ponuntur tres legati Papæ Leonis, his uerbis: Tenentibus locū
 sanctissimi & Reuerendissimi archiepiscopi almæ urbis Romę
 Leonis. Ac rursus in fine actionis tertiæ, ubi uniuersa synodus
 oim gestorū Leoni rationē reddit, maximeque illius epistolā con-
 tra Euticerē amplexat, sic scribitur: Eramus in cōmuni corona
 gaudii, quasi in imperialibus cœnis, deliciis spiritualibus epulan-
 tes, quas per tuas literas Christus præparauerat inuitatis: quibus
 tu quidem, sicut membris caput, præeras, in iis, qui tui tenebāt
 ordinem, beneuolentiam præferens: imperatores uero ad or-
 nandum decentissime præsidebant. Item actione decima, cum
 fuisset latius causa cuiusdā episcopi uentilata, & sententia Con-
 cillii requisita, sic dicitur: Paschasius & Lucentius Reuerēdissimi
 episcopi, & Bonifacius præbyter, tenentes locū sedis Apostoli-
 cæ (quia missi apostolici semp in synodis prius loqui, & confir-
 mare soliti sunt) per Paschasium dixerunt, &c. Horum nunc ne-
 cessario putauimus ex antiquitate ecclesiæ omnes fideles ad-
 monere: ex quibus patet aperte uniuersam ecclesiā intellexisse,

INSTITVTIONIS CHRISTIANÆ

Petrum constitutum fuisse supremum, successoresq; eius uere in ecclesia esse primates, idq; semper in ecclesia duraturum: quod maxime erat necessarium conseruandæ unitati in ecclesia. Quare & uere penes solum eum potestatem esse congregandi conciliū, semper credidit ecclesia. Nam id in quauis republica conuenit supremæ potestati. Patet item sæpius huius auctoritatis ipsos pontifices uel temperasse, uel dissimulasse usum: immo etiam aliquando iuxta arbitriū patrum atque ordinationem, eam exercuisse: uel præ sancta & singulari modestia id facientes: uel ecclesiis magis opportunum id iudicantes. Patet item ex hac omnium episcoporum ipsiusq; Pontificis Romani modestia imperatoribus delatum fuisse eum honorem, qui in antiquis Conciliis habetur: quemadmodum in hoc Chalcedonensi concilio, in quo imperatores eorumq; ministri primum nominantur, interpretati sunt patres, scribentes: Imperatores uero ad ornandum decentissime præerant. Patet postremo, & omnes maiores causas, & Conciliorum episcoporumq; auctoritatem a Pontifice Romano pendere. His, ut puto, satis Catholicus munitus, horum temporum horrenda monstra, atque schismaticorum blasphemias uitare poterit, uerq; & uni ecclesiæ adhærere.

Caput XVII. de gratia remissionis peccatorum.

PECCATORVM REMISSIONEM.

Vidimus iam, unde in ecclesia sit sanctitas, & quare aui sint apostoli sancti, sanctam ecclesiam uocare. Sic enim illam uocarunt: non quoniam non sint peccatores Christiani: immo (ut Ioannes ait) si dixerimus, quoniam peccatum non habemus: nos ipsos seducimus, & ueritas in nobis non est: sed quoniam in hac ecclesia est remissio peccatorum parata, atque in
1. Iod. 1 1
promptu

promptu cunctis exposita confitentibus, agnoscentibusq; pec-
 cata sua. Quare subiunxit Ioannes; si confiteamur peccata no-
 stra: fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emū-
 det nos ab omni iniquitate. Est autem remissio peccatorum
 non solum a deo promissa ingredientibus in hanc ecclesiā per
 Baptismum (unde in solenni Symbolo dicimus, Confiteor unū
 Baptisma in remissionem peccatorū) uerum etiam in eā iam in
 gressis peccantibus quotidie datur remissio: lethaliū quidem &
 grauium peccatorum, per Sacramentum pœnitentiæ: dicente
 domino Apostolis: Quorum remisieritis peccata, remittuntur *Ioan. 20*
 eis: leuium uero & uenialium, per orationem, mutuamq; cha- *Math. 6*
 ritatē, & gratiam dei. Hinc quotidie orare iussi sumus: Dimitte *Luc. 12*
 nobis debita nostra: sicut & nos dimittimus debitorib; nostris, *Mat. 18*
 Et Christ; ipse Petro remissioni peccatorū putanti statuendum
 esse certū numerū dixit: non dico tibi septies, sed septuagies
 septies. Quo dicto significauit dñs sine ullo termino in ecclesia
 peccata remitti. Abeat ergo donatus ex ecclesia, sanctum seip-
 sum, & sine necessitate ullius ueniæ existimans, atque ob hoc
 lapsis post Baptismum negans pœnitentiam. Nos uero audia-
 mus Christum: & euntes discamus: quid est misericordiam uo- *Math. 9.*
 lo, & non sacrificium. Non enim (ait Christus) est opus ualen-
 tibus medico, sed male habentibus: nec uenit uocare iustos, sed
 peccatores. Itaq; illius dilectus apostolus fidelibus iam atque ab *1. Ioan. 2*
 lutis: filioli mei (inquit) hæc scribo uobis, ut nō peccetis. Sed &
 si quis peccauerit: non addit, desperet: aut non habet locū pœ-
 nitentiæ: sed ait: aduocatū habemus apud Patrem Iesum Chri-
 stū iustum. Et ipse est propiciatio pro peccatis nostris: non pro
 nostris autem tantum: sed etiā pro totius mundi. Vnde temp; *Zach. 13*
 hoc gratiæ significans Zacharias: in die illa (inquit) erit fons pa-
 tens domui David, & habitatoribus Hierusalem in ablutionē
 peccatoris, & menstruatæ. Quis autem alius sit hic fons, quam
 quē Ioannes testatur de latere Christi fluxisse: Exiuit (inquiens) *Ioan. 19*

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

sanguis & aqua: fons certe ille est: immo & fluuius affluentissimus, neq̄ unquā deficiens. Lauit enim nos (ait idem apostolus) **Apo. 1.** a peccatis nostris in sanguine suo. Ideo clamat rursum de Christo: Hic est, qui uenit per aquā & sanguinem: non in aqua solū, **1. Ioa. 5.** sed in aqua & sanguine. Credimus ergo remissionē peccatorū perpetuo in ecclesia esse, non extra illā, non extra Christū, non extra eius fidē ac sacramenta: iuxta illā beati Petri sententiā certissimā: nō est in aliquo alio salus. Neq̄. n. aliud nomen est sub **Act. 4.** cœlo datū hominibus: in quo oporteat nos saluos fieri. Quem admodum & ipse Christus iam suscitatus, apostolis dixit: quoniam sic scriptū est: & sic oportebat Christū pati, & resurgere a mortuis tertia die: & predicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorū in omnes gentes. Cæterū diligenter est remissionis uerbum notandum: quo sancti apostoli dei gratiā commendant & extollunt: nos uero deprimunt, ac humiliant. Significat enim remissio liberalem quandam, ac ex sola gratia condonationem sine iusta aut quouis modo æquiualente solutione. Quod apostolus Paulus aptissime explicuit ex uerbis **Rom. 4** Psal. 31. **Psal. 31.** mi: sicut & Dauid (inquiens) dicit beatitudinem hōis, cui deus accepto fert iusticiā sine operibus. Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus uir, cui nō imputauit dominus peccatū. Remissæ ergo sunt (inquit) & tecta: hoc est, non imputata: quę omnia gratiā liberalitatemq̄ significant, non iusticiam. Ex quibus uerbis nunc tantum duo uolo intelligant pii lectores: primum, ante Christum & ante illius communitam gratiam, nos oēs esse peccato obstrictos, aut quod solū ab origine contraximus in ipso ortu, aut etiā quod postea sequētes uoluntatem ac desideria carnis, cōmisimus: per Christū autem nos ab iis peccatis liberari: de quo Paulus: uos (ait) conuificauit, cum essetis mortui delictis & peccatis uestris: in quibus aliquando ambulastis secundum saculū mundi huius, secundum principem potestatis aeris huius spiritus, qui nunc operatur:

operatur in filios diffidentiae: in quibus & nos omnes conuersati sumus in desiderijs carnis nostrae, facientes uoluntatem carnis & cogitationum: & eramus natura filij irae, sicut & cæteri. Deinde uero nobis hæc peccata condonari per Christum, nullis nostris præcedentibus ad hoc meritis, neque ullis operibus nostris hoc apud deum demerentibus, ut iustificemur: quod alibi aperitissime Paulus clamat: Omnes enim (inquiens) peccauerunt: Rom. 3. & egent gloria dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu: quæ proposuit deus propitiorem per fidem in sanguine ipsius. Hæc igitur duo de gratia remissionis peccatorum pios omnes scire & cogitare conuenit: quæ etiam supra inter explicite credenda posuimus. Verum multa alia, quæ hic locus exposcere uidebatur, & in quibus noui doctores grauissime errant, hic non tractamus; quoniam post de iustificatione latius acturi, deo nobis fauente, ea dicemus: quod necessarium omnino esse uidebitur & ad demonstrandum uanos istorum errores, & ad expellendum eos e mente simplicium: qui istorum mendacijs sunt decepti. Hoc igitur loco id solum hortamur omnes, ut primum hanc dei immensam & in exhaustam gratiam remissionis credant, cordibusque suis imprimant: de qua ut illi simus quam maxime grati: in primis statuendum est animo, peccatum omne lethale & graue ita uniuersam peruertere & turbare animæ nostræ harmoniam, ita corrumpere naturam ipsam, deoque opponere: ut quantumuis homo remaneat liberi arbitrii: maneat tamen a deo infirmus & peccato grauat, deique destitutus auxilio, ut non possit uirtute sua tota, atque industria sua, & omnium angelorum atque hominum auxilio, ac consilijs, & exhortationibus a peccato resurgere, atque ad deum ipsum redire. Hinc David: Iniquitates meae (clamat) Psal. 37 supergressæ sunt caput meum: & sicut onus graue, grauatæ sunt super me: & rursum: Cor meum conturbatum est in me: dereliquit me uirtus mea: & lumen oculorum meorum.

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

& ipsum non est mecum. Omnia enim nostra per peccatū tur-
 bata sunt & infirmata. Quare libero quidem arbitrio, suaq; uo-
 luntate fertur homo in peccata, atq; in mala: sed ad deum resur-
 gere, uereq; ad illum conuerti, per infirmitatem nequit, nisi deo
 porrigente illi manum, ipsumq; erigente. Nam Christus: Ne-
 mo (ait) potest uenire ad me, nisi Pater meus traxerit eū: & rur-
 sum: sine me nihil potestis facere. Manet enim per peccatū le-
 thale ita grauitate deus offensus hōni: & adeo homo quantū in
 se fuit, deū inhonorauit, & tantam illi iniuriam fecit: ut merito
 nihil possit deo offerre æquiualens infinitæ illi iniuriæ atque
 irreuerentiæ. Quamobrem etiamsi posset omnia iusticiæ &
 aliarum uirtutum opera facere: non tamen ea æquarent offen-
 sam illam peccati: ut taceam hominem etiā peccato non inquit
 natum debere illa omnia facere. Quare nemo ullo modo pro
 peccato satisfacere deo ualet. Quod Micheas Propheta aptissi-
 mis uerbis demonstrat: Quid dignum (inquiens) offeram do-
 mino? Curuabo genua mea deo excelsio? Nunquid offerā ei ho-
 locaustumata & uitulos anniculos? Nunquid placari potest
 deus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pin-
 guium? Nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo,
 fructum uentris mei pro peccato animæ meæ? Vides quomo-
 do propheta his ultimis uerbis dignam pro peccato satisfactio-
 nem se quærere ostendat: quam omnibus illis interrogationi-
 bus nobis esse possibile negat. Ac ideo mox omnibus his omis-
 sis subiungit: Indicabo tibi, homo, quid sit bonum, & quid do-
 minus requirat a te, utiq; facere iudicium, & diligere misericor-
 diam, & sollicitū ambulare cum deo tuo. Quo in loco significat
 propheta, debere nos iudicantes atque examinantes conscien-
 tias nostras, soli diuinæ misericordiæ inniti, illiq; inhaerentes,
 sollicitos, assiduosq; in oratione & consideratione dei uiuere.
 Ad hanc igitur nostram infirmitatem curandam, & satisfac-
 tionem implendam, Deus filium suum mittens factum homi-
nem,

Ioan. 6

Ioan. 1. 56

Mich. 6.

nem, atque ad mortem usq; crucis ipsum tradens, illius accepta-
 uit obedientiam: ac cernens charitatem eius, qua pro omnium
 culpis tanta sustinuit, maiorem longe fuisse peccatis omnium
 non commissis tantum, sed & iis, quæ committi poterant, sta-
 tuit propter illam omnium, qui eius participes essent, peccata
 remittere, auxiliumq; gratiæ, qua conuerterentur, quib; uoluit,
 impartiri, atque participes eos eiusdem obedientiæ & charita-
 tis efficere. Hæc omnia sua spontanea & liberali gratia, deinde
 & his meritis Christi interuenientibus obueniunt nobis, nullis
 præcedentibus nostris meritis. Vnde Paulus ait: saluos nos fe-
 cit non ex operibus iusticiæ, quæ fecimus nos: sed secundum
 suam misericordiam. Et alibi: Cum ad huc (inquit) inimici es-
 semus: reconciliati sumus deo per mortem filii eius, Et rursum:
 Eum (ait) qui nō nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit:
 (hoc est, hostiam pro peccato) ut nos efficiamur iusticia dei in
 ipso. Quamobrem firmissime credat omnis fidelis, nullum pec-
 catū adeo enorme esse, cuius non sit speranda uenia: neq; ullū
 tempus esse in hac uita, in quo deus non recipiat hominem ad
 pœnitentiam: immo inuitet etiam, clamans per Ezechielem: si
 impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ
 operatus est: uita uiuet, & non morietur: omnium iniquitatum
 eius, quas operatus est, non recordabor. Nunquid uoluntatis
 meæ est mors impii, dicit dominus, & nō ut conuertatur a uitiis
 suis, & uiuat! et ibidem addens: Conuertimini, & agite pœni-
 tentiam ab omnibus iniquitatibus uestris: & non erit uobis in-
 ruinam iniquitas. Quare moriemini domus Israel! Quia nolo
 mortem morientis, dicit dominus deus. Reuertimini, & uiuite.
 Nemo itaque adeo peccatis est immersus: nemo tam diu in illis
 permansit impœnitens: qui usq; ad ultimum uitæ spiritum non
 possit semper & arbitrii libertate, & gratiæ dei auxilio pœnitere,
 atq; a peccato liberari. Quod aperte parabola illa euangelica
 docet Christus; qua dicit patrem illum familias omni hora mi-

Tit. 3.

Rom. 5.

2. Cor. 5.

Eze. 18.

Mat. 20.

INSTITVTIONIS CHRISSTIANAE

fuisse operarios in uineâ suâ, atq; iis, quos iâ ad uesperascente die
 miserat, æqualē donasse mercedem. Vbi etiâ subindicare uidet
 dñs, eos, qui tardius uenerunt, sapius deo gratiores fieri iis, qui
 longiori tempore perstiterunt. Itaq; ait: Erunt primi nouissimi,
 & nouissimi primi. Ex quibus omnibus cōstat firmissime tenen-
 dum, nullū esse peccatū in hac uita irremissibile: atq; si quod ta-
 le in scriptura dicatur, quale Christus dicit esse peccatū in spiri-
 tum sanctum: id uel ad finalem impoenitentiâ refferendum es-
 se, quæ uerissime nunquam remittitur: uel ad difficultatem re-
 missionis: quemadmodum difficile remittuntur omnia illa pec-
 cata: quibus ipsi gratiæ remissiōis obstitimus, & ipsi spiritui san-
 cto contradicimus, per quem peccata remittuntur. Atque hæc
 de fide hac remissionis peccatorum sit satis dixisse. Id iam solum
 restat, ut simus gratissimi tantę dei bonitati: neq; gratiam hęc,
 uti quotidianam, communem, & facilem incipiamus uilipende-
 re. Hoc enim deo ualde displicet, & nobis magnam affert per-
 niciem. Subtrahit namq; deus gratiam ingratis. Nam margari-
 tæ ante porcos non sunt mittendæ. Quid uero ingratis, quam
 neq; agnouisse, neq; alicuius æstimasse dei gratiam tantam, ut
 nulla maior esse possit? Quare beatus Augustinus hoc opus iu-
 stificantis dei non solum cum cæteris immensis creationis ope-
 ribus audet cōferre, sed & illis omnib; aperte id præferre: Cer-
 re (scribens) etsi æqualis sit utrūq; potentiæ: hoc tamē est maio-
 ris gratiæ ac misericordiæ. Immo uero nō creationi solum rerū,
 sed & resurrectioni corporū, atq; glorificationi animarum pla-
 ne docēt & illius autoritas & aperta ratio, id opus dei esse præ-
 ferendū. Resurrectione, n. mortuorū tanto id maius est, quan-
 to anima præstantior est corpore: & quanto magis uita gratiæ
 corporeâ uitâ superat. Glorificatione uero etiam maius existit
 quoniam illa ad gloriam premiumq; mutatio sit a gratia, a iu-
 sticia, atq; merito, terminis scilicet coniunctissimis fini: hoc uero
 opus sit mutatio a peccato, ab auersione a deo, ab offenso deo, a
 damnationis

Mat. 12

Mat. 7.

August.
 super cap.
 4. 104.

damnationis æternæ uinculo ad perfectâ unionem cū ipso deo, ad amicitia integerrimâ, & ad uerâ libertatem, fœlicitatisq; meritū: quæ sic distant, ut nulla maior esse possit distantia: ac ne ea quidem, quæ est nihili ad aliquid. Quanq̄ enim quod nihil est, summe distat ab eo, quod est: peccatū tamen non solū hoc modo distat a uera amicitia cum deo (peccatū enim, qua peccatum est, nihil est) sed & deo ipsi resistit, atq; se illi opponit. Quare hoc opus remissionis peccatorū magis dei bonitatem atq; excellentiâ ostendit, quam alia oīa opera eius: ac in maiorem admirationem & stuporem adducit angelos atq; sanctos, uere id confiderantes, quâ reliqua uniuersa, quæ ualde miramur. Quanti ergo estimaremus, si miraculose nos mortuos deus retulisset ad hanc mortalem uitam: aut si graui morbo nos liberasset? Quas ob hæc illi haberemus ageremusq; gratias! Quam grata id memoria retineremus! Ac certe illa magna, soli; immensæ potentia dei possibilis, collata cum hac gratia, de qua loquimur, minima sunt. Quanto ergo magis hæc gratia nobis est extollenda atq; commendanda? Quod ut cōmodius quis præstare possit: expendat iam quanta sit peccantium ingratitude: quam grauis atq; rationi humanæ contraria inobediencia dei: & deniq; quanta sit temeritas, creaturâ dei de nihilo ab eo productam sola ipsius gratia atq; bonitate, speciali cura prouidentiaq; ab eo continenter conseruatâ, & semper ab eo pendentē, ipsius dei transgredi mādata, aperteq; corâ eo & angelis omnib⁹ illi rebellē esse, atq; pro momentaneo quodâ exiguoq; bono eū relinquere, illiq; debitū honorē, amorē, atq; æstimationem nō solū conferre uilis simis creaturis, sed etiâ postponere. Cui simile fecistis deū: imo quē, deo spreto, dilexistis o peccātes. Quē prouocastis! Quē irritastis cōtra uos! Nōne omnipotentē summeq; bonū deū! Quod sane nunq̄ fatis deploratū malū per Hie. deus significauit: *Obstinate* *persecute* (inquis) *cœli sup hoc, & portę eius desolamini uehementē*

Hier, 2.

ter.

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

Psal. 35.

ter, Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ uiuæ: & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non ualent aquas. Vide quam paucis uerbis quanta & quam multa hic comprehendantur. Nam deus: me (inquit) dereliquerunt, fontem aquæ uiuæ: hoc est, fontem essendi, fontem uitæ, fontem omnium bonorum, fontem deniq; non saturantem modo, sed inebriantem omnes. De quo Dauid; filii hominum (inquit) inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: & torrente uoluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te fons uitæ. Ad quæ certe fontem, sicut ceruus ad fontes aquarum, omnis creaturæ desiderium & totus naturæ nostræ appetitus tendit; & extra quem nunquam quiescere & satiari poterit. Me (ergo ait deus) dereliquerunt; qui eos nusquam desero: sed illis spiritum ipsum atque animam do, & semper in eorum præsens sum uisceribus intimisq; penetralibus. Verû quare obsecro, aut ob quod bonum? Foderunt (addit) sibi cisternas dissipatas, quæ continere non ualent aquas: hoc est, ob bona quæ, nullam satietatem præbent, neq; ullum implent desiderium. Adde his beneficia gratiæ. Adde, quod offendimus eum, qui non creauit solum nos intellectuales, ipsiusq; ut cunq; per naturam participes: uerû per gratiam etiam eo traxit ac sustulit, ut ad participandum illius gloriam, propriaq; ipsius fœlicitate fruendum tandem ueniremus: atque ab ea gratia & naturæ nobilitate, in qua conditi sumus, ob peccatum deiectos, rursus erexit, & inexcogitabili consilio atque bonitate redemit, ac sanauit: ad quod filium suum pro nobis fieri hominem decreuit: ut ipse frater noster effectus, bona sua omnia nobis cõmunicaret, mala nostra excepto peccato susciperet, & usq; ad mortem pro nobis sustinendam pergeret. Cum autem simus illius sanguine mundati, illius morte suscitati, & illius uulneribus ac doloribus a perpetua gehenna liberati; tamen peccantes hæc omnia contemnimus & conculcamos, atq; his maximis donis uolentes scientesq; terga uertimus,

timus, & quantum in nobis est, his nos ipsos priuamus, eaq̄
 cum iniuria etiam a nobis expellimus, ac deniq̄ indigniora &
 acerbiora committimus in ipsum Christum, quam qui illū tor
 mentis & morte affecerunt. Illa enim ipse elegit, & uoluit, ut
 peccata destrueret: nos uero illis omnibus cōtradiciamus. Que
 sane consideratio merito nos omnes terrere debet. Audi quid
 Paulus hodie dicat de peccantibus: Irritam quis faciens legem Heb. 10.
 Moyſi, sine ulla miseratione duobus uel tribus testibus mori
 tur. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui fili
 um dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxe
 rit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fe
 cerit? Scimus enim, qui dixit: mihi uindictam: & ego retribuam.
 Et iterum: quia iudicauit dominus populum suum. Horren
 dum est incidere in manus dei uiuentis. Vide iam Pauli spiri
 tum. Audi quam terribilibꝫ uerbis explicet peccati grauitatē:
 quibus auditis ipse quoq̄ columnæ coeli contremiscere atque
 pauere uidentur. Nam inquit: qui filiū dei conculcauerit. Quid
 enim hoc horribilius esse potest? Et tamen ita uere res ipsa ha
 bet. Qui nanq̄ audita filii dei incarnatione & gratia, auditis il
 lius operibus, recepta iam fide, promissa illi obedientia in bap
 tismo, & uere ipso Christo suscepto in animo atque mente
 (habitat enim Christus per fidem in cordibus nostris) peccat, Eph. 3.
 ac transgreditur eius mandata: profecto is promissa Christi, &
 Christum ipsum contemnit, ac pedibus spurcissimis affectuum
 irrationalium, quibus in peccando graditur, conculcat illum,
 alioqui clamantem: Quid feci tibi, aut quid molestus fui? Re
 sponde mihi: et deniq̄, quantum in se est, e corde suo cum con
 temptu illum pellens, sibi ipsi rursus occidit & crucifigit: iuxta
 illud Pauli: rursus crucifigentes sibi met ipsi filiiū dei, & osten
 tui habentes. Quo scelere & in patrem & in filium grauissime
 peccatur: Nam pater misit dilectū filium in mundum, animisq̄
 nostris illum dedit, simul & ipse in eis inhabitans. Vnde Chri
 stus:

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

- Ioan. 1. 4.** stus: ad eum (inquit) uenimus, & mansiōem apud eum facie-
mus. Peccat item peccator Christianus in ipsum Christi san-
guinem, & certe eum polluit, mundiciem atq; pulchritudinem,
quā per illū habuerat, foedans ac deturpans. Et hoc est, quod
scripsit Paulus: & sanguinē testamenti pollutum duxerit. Quasi
dicat: is iudicat, & opere ipso dicit, Christi sanguinem resū esse,
communem, contemptibilem, & nihili æstimandum: quoniam
pro minima qua; re illius se priuat fructu. Atq; hoc est etiam,
Mal. 1. 0. quod apud Prophetā legitur: in quo polluimus te: cui respon-
detur: in eo, quod dicitis: mensa dñi despecta est. Ita enim nos
sanguinem Christi polluimus in eo, quod opere dicimus: san-
guis Christi despectus est. Neq; uero solū peccantes Christiani
priuant se fructu sanguinis Christi: uerū & efficiūt, ut sanguis
Heb. 1. 2 ipse Christi, qui melius loquitur quā Abel, misericordiam scili-
cet, tantam passus iniuriam, clamet merito contra ipsos uin-
dictam. Postremo, ne quid maneat intactū peccanti, etiā in spi-
ritū sanctum manus iniicit sacrilegas. Et hoc est, quod addit
Paulus: & spiritui gratiæ contumeliā fecerit. Nonne enim con-
tumeliā facit spiritui gratiæ, qui illo non audito, peccati spiritū
& diaboli instinctum sequitur: quicq; cordis aures illi claudit, dia-
Rom. 8 bolo peccatoq; aperiens? Clamat autem spiritus gratiæ in cor-
dibus nostris, abba pater: ac postulat pro nobis gemitibus in-
enarrabilibus, non aliud quā gratiā dei, & amicitiam nobis ab
ipso deo communicari, atq; communicatā custodiri a nobis sem-
per, ac summa animi nostri uigilantia conseruari. Hæc igitur
Ephe. 4. oīa contemnimus, spiritus gratiæ opera. Quamobrem Paulus
a peccatis deterrens fideles: Omnis (ait) sermo malus ex ore ue-
stro non procedat: sed si quis bonus est ad adificationē: ut det
gratiā audientibus. Et nolite contristare spiritum dei: in quo si-
gnati estis in die redemptionis. Vides aperte contumeliā factā
spiritui gratiæ: tristitiamq; illi, quantum in nobis est, inferri: dū
& sancti, in quibus ipse manet, contristantur: & dū aduersa ei,
atq; contraria facimus. Vides etiā quantū scelus Christiani pec-

cantes cōmittant. Ex quo plane intelligere potes, quanto iure mereamur omnes peccantes grauissimā dei animaduersionē atq; iram (horrendū est autem incidere in manus dei uiuentis) & quam digni simus: quos deus non solum gratia sua, fructuq; & merito passionis filii sui priuet: sed quos etiā perpetuis statim tradat gehennæ flammis, atq; tenebris horribilissimis concludat. Et tamen hæc cernens deus optimus, tacet, dissimulat, sustinet, expectat: imō & beneficiis quoq; afficit se contemnentem, rogatq; & inuitat inimicū hōem ad amiciciā suā, iuxta illud Pau-
2. Cor. 5^o
 li: pro Christo legatione fungimur, tanquam deo exhortante per nos: obsecramus pro Christo, reconciliamini deo; & deniq; uolentem peccatorem ad ipsum redire, suscipit, ac tanq̄ pater ille euangelicus occurrit filio prodigo: & quidem (quod oīm mirabilissimum, ac indicibilis dei bonitatis opus existit) ipse nos præuenit gratia sua, atq; auxilio, quo hæc præstare possimus.
Hier. 3.
 Hinc uoces ille mirabiles dei ad peccatores: nunquid irasceris in perpetuum, aut perseuerabis in finem? et rursum: reuertere aduersatrix Israel (ait dñs) & non auertā faciem meam a uobis. Peccatū porro ipsum, quo & Christi mortem & merita contempsimus, & quantū in nobis fuit, etiam quasi superauimus: dum maiorem altiolemq; apud nos peccato concessimus & auctoritatem & locum, quam Christo: indignos plane tantis donis nos reddebat: dignos uero, quos perpetuo deus illis priuaret. Verum certauit summa dei bonitas cum tanta hominum malicia: neq; uoluit superari a nobis. Est enim deus præstabilis
(occl. 2^o)
 super malicia: neq; uult, ut possit homo in culpa & malicia superare ipsius bonitatem: nec patitur, ut sit homo superior in culpa, quā ipse in uenia. Merita etiam Christi abundantiora esse uoluit peccatis omnium: dum dedit ipsi tantam charitatem & talem erga dei honorem atque erga salutem hominum affectū: qui uere superet omnem prauitatis affectum. Vnde quantum uideantur æqualia esse inter peccantem & Christum

INSTITVTIONIS CHRISTIANÆ

bona & mala, dum ipse moritur, peccans uero illius mortē contemnit: affectus tamen ipse Christi in bonū uincit omnem peccantis affectum in malū. Quo fit, ut superetur nostra malicia a deo. Quid autem hoc dulcius esse potest? Quid deo dignius? Quid uero nobis magis æstimandum? Quare & ipse deus de hoc opere maxime gloriatur, & seipsum nobis commendat:

Esaï, 43. 6. Ego sum (inquiens) ego sum ipse: qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorū tuorum non recordabor. Reduc me in memoriam. Dicit ergo, propter me: hoc est, gratis, nullo merito tuo, solum ob gloriam meam, & ob bonitatem meam. Et subiicit: reduc me in memoriam. Nihil enim maiori memoria dignum, quam quod deus in se peccantem conuertat ac recipiat: neq; quicquam terrere debet magis fideliem, quā huius tanti beneficii obliuio & contemptus: nihilq; magis eū de sua salute suspectum reddere, quā si pro minimo ducat, gratiam illam uel consequi, cum nō habet: uel amittere, cum habet. Manenti

Rom. 2.

.n. in peccato Paulus clamat: An diuitias bonitatis eius, patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniā benignitas dei ad pœnitentiam te adducit! Secundum autem duriciam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicii dei. Itaq; pro omnibus idem apostolus

Eph. 3.

deum precatur: ut possitis (ait) comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum: scire etiam supereminentem scientiæ charitatē Christi. Quæ uerba quanquam supra de incarnationis opere exposuimus: merito tamen de hac remissione peccatorum, ad quam ipsa etiam incarnatio dirigitur, intelligamus. Vide ergo quam existimet Paulus necessarium, hanc charitatem Christi, quæ in remissione peccatorum & satisfactione pro illis, maxime se ostendit, agnoscere atq; cogitare. Eam enim dicit eximia cuiusdam esse sublimitatis, & bonitatis, longanimitatisq; & sapientiæ diuina: ut quæ omnia planissime in eo opere eluceant.

Caput

Caput XVIII, de generali omnium resurrectione.

CARNIS RESVRRECTIONEM:

HActenus uniuersa dei opera & natura & gratia confessi sumus: a productione ipsa rerum gubernationeque progressi usque ad Christi incarnationem, atque peccatorum remissionem. Quae quidem omnia completa iam sunt & perfecta, quotidieque perficiuntur in nobis. Nunc iam ad ultima dei operamentum est, nempe retributionem ultimam, atque hominis (propter quem totus hic mundus, & rerum harum omnium harmonia, mutatio, & uicissitudo est) perductionem ad finem terminumque suum: cum quo pariter & rerum omnium cessabit quietudo, & desiderium. Nam expectatio (ut scripsit Paulus) creaturae, reuelationem filiorum dei expectat. Vanitati enim creaturae subiecta est, non uolens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe: quia & ipsa creatura liberabitur a seruitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum dei. Scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit, & parturit usque adhuc. Clamant namque omnia, quae mouentur, finem se quaerere. Neque, nisi ad infinitum ullus motus est: quoniam nec incepit natura quicquam, nisi fine praefixo. Clamat & intellectus noster, non se quiescere posse, nec satiari, quousque hanc uicissitudinem atque uarietatem, quam in nostra natura conspiciamus, euaserit. Iam ergo quo perueniendum sit nobis, certa tenendum est fide. Hoc autem credimus, confitentes Carnis resurrectionem. Credimus enim, quamuis omnes homines cum iumentis caeterisque corruptibilibus moriantur atque occidant, soluta unione illa animi & corporis, ipsiusque corporis compage: futuram tamen esse in nouissimo die instaurationem, erectionem, atque iteratam unionem animae & corporis: ut rursus multo perfectius constituent eundem hominem. Quod quidem

INSTITUTIONIS CHRISTIANAE.

credidisse, nihil erit difficile consideranti omnipotentiam dei: qui ex nihilo cuncta creauit: quiq; uiuificat mortuos, & uocat ea, quæ non sunt, tanq̃ ea quæ sunt, ut scripsit Paulus. Ac ideo interpretatur idem apostolus, ipsum Abraham, primogenitū, in quo susceperat benedictionem, prompte uoluisse occidere: *Roma. 4.* fide (inquiens) obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur: & unigenitū offerebat, in quo susceperat repromissiones (ad quē dictū est: quia in Isaac uocabitur tibi semen) arbitrans, quia & a mortuis suscitare potens est deus. Habemus etiam huius fidei in *Heb. 11.* euangelio certissima testimonia, atq; exempla. Nam Christus: *Ioan. 5.* uenit (inquit) hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, au- dient uocem filii dei: & procedent, qui bona fecerunt, in resur- rectionem uitæ: qui uero mala egerunt, in resurrectionem iudi- cij. Vbi aperte dicit omnes resurrecturos, & malos & bonos. Quā fidem sic constat Christum semper docuisse, atq; suis om- *Ioan. 11.* nibus sic palam prædicasse: ut Martha illi dicenti, resurget fra- ter tuus, responderit: scio, quia resurget in resurrectione in no- uissimo die. Ipsi item mortui, qui a Christo dño suscitati sunt, *Luc. 7.* idem nobis demonstrant: qualis fuit ille uiduæ filius, qui iam mortuus efferebatur: & Lazarus, qui quatuor dies in sepulchro mortuus iacuerat: quos dñs uerbo suo erexit. Quemadmodum enim tunc Lazarus ab omnibus est idem uisus & habitus, post quam fuit uocatus a Christo: uiduaq; illa absq; omni dubita- tione suum recepisse filium, est gauisa: ita etiam erit in die illo ultimo. Nec enim immensæ uirtuti dei minus sunt præsen- tia corpora omnium, cum in elementa ipsa fuerint resoluta: quam cum uidentur integra, nec dum omnino in terram uer- sa. Est autem hæc diuina uirtus tam efficax & potens: ut ne mortuus quidem (quod ad illam attinet) debeat aliquis dici. *Math. 9.* Hinc Christus de Archifsynagogi filia: non est (inquit) mortua *Mat. 22* puella, sed dormit. Atq; apertius uolens probare resurrectio- nem, illum citat locum: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus

Deus

Deus Iacob: ac subiicit: Non est autem deus mortuorū, sed uiuentium. Viuunt enim illi apud deum, atq; apud ipsius efficacē uoluntatem, quæ illos uicturos in æternum constituerat. Sunt porro & huius fidei non exempla solum & testimonia, sed pignora etiam, atq; quasi semina (ut ita loquar) & animis & corporibus nostris a deo insita, ac impressa: ut possimus & ipsi illud, quod Christus proprie de se in Psalmo quodā dixit, aliquo modo usurpare: *Lætatur cor meū, & exultauit lingua mea: in sup & caro mea requiescet in spe: quoniam non dereliques animā meam in inferno, nec dabis sanctū tuum uidere corruptionem.* Notas mihi fecisti uias uitæ. Etenim ipse Christus uere sanctus ille est, qui ad inferna descendit; ubi non est anima eius derelicta: neq; eius caro ullo modo uidit corruptionem. Nos uero ab eius, ueluti capitis, uirtute & sanctitate sumus etiam, quamuis longe infra illum, sancti: potestq; caro nostra in magno gaudio, certissimamq; resurrectionis spe quiescere. Non enim deus derelinquet in his infimis animam nostram, hoc est, uitam animalem atq; sensibilem, quæ cum corpore euanescit, atque in ipsius terræ uisceribus computrescit: neq; dabit nos corruptionem omnimodam sentire: quoniam ostendit nobis deus uias uitæ. Nam in Christo resurgente, nobis indicia quædam & uiuum exemplar resurrectionis est datum: habemusq; in animis Christum ipsum, & spiritum ipsius: quorum uterq; uita est, atque uitæ perennis fons, non solum animis, sed & corporibus. Vnde Paulus clamat: Si autem Christus in uobis est: corpus quidem mortuum est propter peccatum: spiritus uero uiuit propter iustificationem. Quod si spiritus eius, qui suscitauit Iesum a mortuis, habitat in uobis: qui suscitauit Iesum Christum a mortuis, uiuificabit & mortalia corpora uestra, propter inhabitantem spiritum eius in uobis. Verissime ergo spiritus Christi, atque ipsius per uiuam fidē habitatio in cordibus nostris, pignora sunt resurrectionis. Præterea est.

Psal. 151

Roma, 8.

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

est quoq; in corpore nostro, ipsius Christi domini corporis affi-
 milatio quaedam, configuratio, & certissima cum illo unio. Est
 enim & iuxta corpus Christus non solum animorum sed etiam
 corporum nostrorum caput: quod plane influit in corpora, eaq;
 ad sui perfectam configurationem mouet, motione efficacissima
 & nunquam deficiente. Hinc Paulus: saluatorem (inquit) ex-
 pectamus dominum nostrum Iesum Christum, qui reforma-
 bit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis
 suae, secundum operationem uirtutis suae: qua etiam possit subii-
 cere sibi omnia. Merito igitur Christianus suscitatus & immor-
 talis Christum credens, exultare potest cum Dauide: Multi (in-
 quiens) dicunt animae meae: non est salus ipsi in deo eius: tu au-
 tem domine susceptor meus, gloria mea, & exaltans caput me-
 um. Quasi dicat: quanquam multa sunt, quae saluti meae aduer-
 santur: tamen ita potens est atq; magna uirtus saluatoris mei,
 ac tantam mihi prebet fiduciam, conspiciere fide Christum, ca-
 put meum, exaltatum a morte & inferno: ut sperem me etiam
 eum sequuturum. Tu ergo domine, qui caput meum exaltasti,
 exaltabis & me, quantumuis mortalem, grauitateq; corporis de-
 pressum. Quam efficacissimam uim sentiens Paulus: Si autem
 (inquit) Christus praedicatur, quod resurrexit a mortuis: quom-
 modo quidam dicunt in uobis, quoniam resurrectio mortuo-
 rum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est: neq;
 Christus resurrexit. Nam si mortui (addit paulo post) non res-
 surgunt: neq; Christus resurrexit. Ita enim efficacem credidit esse
 apostolus Christi resurrectionem, ut eam omnino nostra sen-
 quatur. Ideo hanc ratiocinationem concludens: Nunc autem
 (ait) Christus resurrexit a mortuis, primitiae dormientium: quo-
 niam quidem per hominem mors: & per hominem resurrectio
 mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Chri-
 sto omnes uiuificabuntur. Et rursus ibidem: factus est (in-
 quit) primus homo Adam in animam uiuentem: nouissimus
 Adam

Phil. 3.

Psal. 3.

1. Co. 15

Adam in spiritum uiuificantem. Sed non prius quod spirituale est, sed quod animale; deinde quod spirituale. Primus homo de terra, terrenus; secundus homo de cœlo, cœlestis. Qualis terrenus; tales & terreni. Qualis cœlestis; tales & cœlestes. Quare statim nos sic admonet: igitur sicut portauimus imaginem terreni; portemus imaginem cœlestis. Neq; his contentus Paulus, adhuc existimabat (quod omnium maximum uidetur) se & omnes, qui Christi imaginem portare uoluissent, iam cum Christo resurrexisse, & in cœlum ascendisse, tanquam scilicet uiua iam atq; unita capiti suo membra, interiori sensu immortalitatis prægustationem quandam percipientia. Sic ergo alibi scribit: deus autem, qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, cuius gratia saluati estis, & conresuscitauit, & confedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu: ut ostenderet in sæculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos. Itaq; cum dicit: in Christo Iesu conresuscitauit & confedere fecit: magnæ fidei & fideiæ id dictum est, ac hominis plane non iam in se ipso uiuentis, sed in Christo, atq; uere dicentis: Christo confixus sum cruci. Eph. 2.

Uiuo autem iam non ego: uiuit uero in me Christus. Quæ quidem, sicut & illa, conresuscitauit, &c. non tantum uerba sunt cuiusdam emphasis, atque exaggerationis maxime, qua nunquã spiritus ille Pauli sibi ipsi satisdixisse dei erga nos beneficia, atq; gratiã, charitatisq; efficaciam uidebat: sed & multo uerius indicia exitû animi per spiritum elatissimi, atq; diuinorû gultum & suauitatem iam percipientis. Significat. n. uerissime dei promissionem, atque gratiam animis nostris potente ipsius uirtute infusam, non solum expectationem quandã cœlestium efficere in nobis: sed etiã plus quã credi potest rem ipsam iam presentem, eiusq; degustationem exhibere iis, qui digni aptiq; sunt, ut capiant energiam illam atque uiuificantem uirtutem spiritus. Gala. 2.

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

Nam conresuscitauit (ait) & confedere fecit: non autem conresuscitabit, & confedere faciet: quasi id iã de Christo perfecte, & de nobis etiam in Christo ipso, non quidem integre atque in effectum, sed sic tamẽ completum sit: ut, quantum ad animarũ captum atque gustum, iam sit nobis præsens uita illa, atq; sceleritas. Ac quidquid illud est, quantumuis minimum sit, si conferatur cum ueritate, quam speramus: maius tamen, uerius, certius, & præsentius existit omnibus iis, quæ mundus in nobis, et quidẽ iis, quæ natura ipsa efficit. Verior namq; certior, firmitior, & præsentior, quantũ ad animæ mundæ ac limpide sensum, est confessio illa atque conuictus, quem sancti uiri hic agentes, iam habent cum Christo in cœlestibus, quam sit omnis gloria, exaltatio, atque sublimitas, quam suis exhibet mundus: immo quam uita ipsa, quam iam habemus. Quare si dicuntur regnare homines, si gloriosi esse, si uiuere in mundo & in carne: uerius dicemus nos iam confedere in Christo, & conresuscitatos esse. Vnde & in alio loco idem apostolus, cum de cognitione illa certissima & efficacissima, quam fides gratiaq; Christi in nobis efficit, loquere: Nos, ait, omnes reuelata facie gloriam speculantes: in eandẽ imaginẽ transformamur a claritate in claritatem, tanquam a dñi spiritu. Licet enim cognitio, quam de deo habemus, sit hic per fidem, & per speculum, ac ænigma: ea tamen animas, quæ sine uelamine, hoc est, sine amoris rerũ temporalium contagione diuina considerant, potest transformare, & assimilare deo ipsi, ac transferre in dies ad præstantiorem clarioremq; diuinorum cognitionem & gustum. Atq; hoc etiam significatur, cũ dicitur a claritate in claritatem. Nã non tantũ a uia huius claritate ad patriæ lucẽ illã meridianã: uerũ & in hac uita a minori ad maiorẽ lucem quotidie nos promouet hæc potentissima diuini spiritus uirtus. Neq; uero Christi solũ gratia sed origo etiã ipsa nostra & natura satis nobis indicat resurrectionis ueritatẽ, atq; ad desiderandũ eam nos ducunt. Siquidem

2. Cor. 3.

constat.

constat deum initio creasse hominem mortalem & corruptibilem, potentem quidem nunquam mori, sed sine morte transferendum ad perfectam immortalitatem: idque supra uirtutem naturalem sua gratia dedisse homini: qui natura sua, quippe ex contrariis compositus, mori omnino debuit. Verum quoniam deus ad altiora maioraque bona, quam sint naturalia, mentem hominum erexit: uoluit etiam tunc, ut in corpore essent & huius gratiæ uestigia quædam. Quare, ut supra diximus, plenum & rectum dedit illi carnis cum spiritu consensum, ut tunc neque caro concupisceret aduersus spiritum, neque spiritus aduersus carnem: atque præstitit uirtutem, tum interiorem diutius se seruandi, tum exteriorem quoque ad se renouandum, uxorem in adiutorium, & lignum uitæ in cibum illi præbens (hoc autem lignum deus post peccatum primi hominis diligenter seruari præcepit: ne forte, inquit, mittat manum suam, & sumat etiam de ligno uitæ, & comedat, & uiuat in æternum) ac denique certam promissionem statuit, translaturum se illum ad foelicitatem immortalem, si non peccasset, itaque & dixit homini deus, obediens præceptum illi imponens de ligno uetito: Quacumque die ex eo comederis, morte morieris. Quibus uerbis significabat, hominem non moriturum: si de eo ligno non comedisset. Hinc sapiens: deus (inquit) mortem non fecit, neque latatur in perditione uiuorum. Creauit enim, ut essent omnia; & sanabiles fecit nationes orbis terrarum: & non est in illis medicamentum exterminii, nec inferorum regnum in terra. Iusticia enim perpetua est, & immortalis: iniusticia autem mortis est acquisitio. Impii autem manibus & uerbis accersierunt illam, & astimantes illam amicam, defluerunt, & sponiones posuerunt ad illam: quoniam morte digni sunt, qui sunt ex parte illius. Mortem igitur non creauit deus: sed liberum a morte fecit hominem. Et hoc est, quod dixit: Sanabiles fecit nationes orbis terrarum. Peccatis uero nostris factum est, ut morti redderemur obnoxii: quod

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

- Rom. 5** Paulus aperte testatur; Per unum (inquiens) hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit. Quoniam autem peccatum
- Sap. 2.** suggestionem etiam diaboli commissum est: scriptum quoque est a sapiente: inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Quibus uerbis plane ostendit, mortem, tanquam tyrannum quendam uolentem, naturam nostram ab origine sua ingenuam durissimam ditioni suae ac seruituti subiecisse, tenuisseque uinctam.
- Rom. 5** Regnauit namque (ut ait Paulus) mors ab Adam usque ad Moysen. Regnabat porro mors, hominem sibi obligatum tenens, & maxime illam formidantem deterrens. Est enim omnium terribilium maxime formidanda homini. Regnabat etiam & per illam diabolus: dum metu illius ad quaecumque iniqua, & dei uoluntati aduersa trahebat homines: semperque de morte fugienda cogitantes, facile a dei timore auocabat. Regnabat denique uterque durissimus tyrannus: dum uirtutum opera, quae magna ex parte uitae huius dulcedini aduersantur, reddebant duriora, ac perne inaccessibilia. Indignum uero erat, deique gloriam non decebat: si perpetuo deus permitteret tam atrocem tyrannum naturae a se conditae dominari: ac sustineret diaboli maliciam atque inuidiam nobilissimae creaturae suae peruertisse confudisseque ordinem, & abstulisse insignem praerogatiuam. Clamabant ergo omnes, tanquam sub Pharaone, durissimae seruiti subiecti: nunquid uane constituisti omnes filios hominum? Quis est enim
- Psa. 88.**
Psal. 76. homo, qui uiuet, & non uidebit mortem? Et, nunquid in aeternum proiciet deus, & non apponet, ut complacitior sit adhuc? Sua igitur immensa misericordia & ineffabili bonitate, summus optimusque deus filium suum misit: qui (ut inquit Paulus) per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolus: & liberaret eos, qui timore mortis per totam uitam obnoxii sunt tam durae seruituti. Quod certe fit, cum resurrectionis immortalisque uitae reddimur per fidem hanc & dei
- uirtutem

uirtutem certiores. Vnde clamat Christus suis: Nolite timere
 eos, qui occidunt corpus, Et alibi: Capillus (ait) de capite ue- *Mat. 10*
 stro non peribit. Quare Paulus fidem hanc resurrectionis af- *Lucc. 21*
 firmat, totius religionis & constantiæ Christianæ esse basim &
 fundamentum: si omnino (inquiens) mortui non resurgunt: ut *1. Co. 15*
 quid & nos periclitamur omni hora? Quotidie morior propter
 uestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Iesu dño no-
 stro. Si (secundum hominem) ad bestias pugnaui Ephesi: quid
 mihi prodest, si mortui non resurgunt? Manducemus & bibe-
 mus. Cras enim moriemur. Ac mox admonet: nolite seduci.
 Corruptunt bonos mores colloquia mala. Qui igitur re-
 surrectionem negat: cætera quoq; omnia contemnat, quæ
 ad uirtutem attinent, & tantum præsentibus indulgeat bo-
 nis, necesse est. Postremo, ne & hoc ommittamus, ipsa animæ
 nostræ natura hoc idem demonstrat, si modo illam omnino
 non ignoremus, neq; ea nos reddamus indignos: quod multis
 accidisse constat. Etenim homo cum in honore esset, cæteris sci *Psal. 43.*
 licet animalibus superior: tamen non intelligens hanc animæ
 suæ excellentiam, comparatus est iumentis insipientibus, & si-
 milis factus est illis. Quod etiam mors dominans effecit: dum
 morientes homines, tanquam iumenta ipsa, uidens stultus, in
 illam adductus est sententiam, quam ex eius ore Salomon pro-
 fert: Vnus est interitus hominis & iumentorum, & æqua utri-
 usq; conditio. Sicut moritur homo: sic & illa moriuntur. Simi- *Eccel. 3*
 liter spirant omnia: & nihil habet homo iumento amplius.
 Cuncta subiacent uanitati: & omnia pergunt ad unum locum.
 De terra facta sunt, & in terram pariter cōuertuntur. Quis no-
 uit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus iu-
 mentorum descendat deorsum? Vide quomodo mors deiciat
 homines, & eos nobilitatis suæ obliuisci cogat. Vide quoq; quā
 indigne de se ipsis sentiant, & in quanta delabantur uicia, re-
 surrectionem non cogitantes: quos sapiens optime depinxit:

INSTITUTIONIS CHRISTIANAE

Sap. 2.

Dixerunt (scribens) impii cogitantes apud se non recte: Exiguum & cum tadio est tempus uitae nostrae, & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit, reuersus ab inferis: quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus, tanquam non fuerimus: & post multa dicta in hanc sententiam, uerba illorum subiiciens: Venite ergo (ait) & fruamur bonis, quae sunt: & utamur creatura, tanquam in iuuentute celeriter. Vino precioso, & unguentis nos impleamus: & non praetereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant. Nullum praetium sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo uestrum exors sit luxuriae nostrae. Vbiq; relinquamus signa laetiae: quoniam haec est pars nostra, & haec est fors nostra. Hi profecto sunt terreni homines, & sapientia huius mundi, quae deo inimica est, pleni: uere tamen stulti sunt, & dignitate humana indigni. Nam, ut caetera praetereamus, si huius tantum uitae bona sunt nobis speranda, ac tantum haec bona corporis consideranda: quid excellentiae, aut quid boni supra caetera animalia datum est homini; cuius corpus robore, sanitate, & diuturnitate multorum animalium corporibus est inferius: & cuius uita pluribus incommodis, aduersisq; subdita est! Et tamen hanc hominis excellentiam ipsa quoque animalium natura ostendit, quae ueluti agnoscens legem illam dei, dominamini piscibus maris & uolatibus caeli, homini se se subdit. Quare Sapiens de stultis illis, quorum uerba apposuerat, subiungit: haec cogitauerunt, & errauerunt. Excœcauit enim eos malicia eorum. Et nescierunt Sacramenta dei, neque mercedem sperauerunt iustitiae, neq; iudicauerunt honorem animarum sanctarum: quoniam deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suae fecit illum. Inest autem homini quaedam aeternitatis meditatio, atque appetitus: estq; in nobis uirtus illa mirabilis, qua incorporea etiam intelligimus, omnem certe superans uirtutem corpoream: ex qua Philosophi

immor-

Gen. 1.

Sap. 2.

immortalem nobis inesse animam, ut pote incorpoream, uenati sunt. Quæ quidem immortalitas animæ naturalem quandam appetitū & magnum argumentum resurrectionis corporum præbet. Cuiusmodi quamuis natura hic deficiens, non inueniat: satis tamen eo nos ducit ratio; ut hominem ex corpore & anima constantem uidentes, intelligamus necesse esse, ut sit in eis mutua quædam societas, atque reciprocus quidam appetitus: quo non solum caro spiritui uniri, sed spiritus carnem uiuificare appetat. Quo fit, ut eo modo irrequieta sit anima extra corpus, quo lapis terra ue, cum extra suum locum tenetur. Licet enim spiritus non sit in corpore, quasi in loco: inclinatur tamen ad illud anima nostra, & habet cum eo con-naturalem quandam societatem. Quod ratione utcumq; aper-tum, scriptura sacra apertius docet. Nam Ioannes: Vidi (in Apo. 6. quit) subtus altare animas interfectorum propter uerbum dei & propter testimonium, quod habebant: & clamabant uoce magna, dicentes: Usquequo domine, sanctus & uerus, non iudicas, & non uindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra? Quibus uerbis desiderium resurgendi intelligendum esse, declarat idem apostolus, subiungens: Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ (hoc autē ad gloriam animarum pertinet) & dictum est illis, ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conserui eorum, & fratres eorum, qui interficiendi sunt, sicut & illi. Est itaq; anima nostra extra corpus, quodam modo extra naturalem locum: nec satis sibi putat gloriam suam sufficere, nisi & illius particeps fiat corpus. Quod iustissimum esse, & ipsa ratio demonstrat. Quemadmodum enim corpus fuit laborum atque meritorum seu bonorum, seu malorum particeps: æquum est, ut fiat quoq; premiorum atque pœnarum. Ac sane nunquam desiderium humanum quiescit: neque de dei opere in creatio-ne hominis, intellectui satis fit: nisi resurrectione credita. Tunc

cuius

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

enim omnia optime deum constituisse, & compleuisse apparet.
 Nam quid, rogo, aliud uidebatur immortalem animum mortali
 corpori uniuisse, quam repugnantem quandam, & indecentem
 unionem fecisse: nisi tandem repugnantia illa aliquando
 tollenda esset? Sicut enim deus dono gratiæ sanauit hanc re-
 pugnantiam, qua corpus natura sua fertur in bona hæc præ-
 sentia atq; contraria animæ bonis: sic & hanc mortalis corpo-
 ris ab immortali anima distantiam dato illo nunq̄ moriendi
 dono sustulit, ac in eo corpus & animum æquauit. Quæ duo
 per peccatum sublata, iuste per Christum redduntur nobis.
 Quo ordine ad primam illam integritatem reducimur: nunc
 quidem, quantum ad animam: in illo uero die ultimo, etiam
 quantum ad corpus attinet. Quare hæc resurrectio dicitur
 quoq; regeneratio: ut in illo loco euangelii: in regeneratiõe, cū
 sederit filius hominis: sedebitis & uos. Hoc igitur decenti & pul-
 chro fine integre deus satis facit homini: dum resurgunt qui-
 dem omnes integra ac completa ætate, & immortales: sed bo-
 ni tantum gloriosi. Hinc resurrectionis fide firmata, inquit Pau-
 lus: Deo gratias, qui dedit nobis uictoriam per dominum nos-
 trum Iesum Christum. Hanc autem uictoriam intelligit de mor-
 te atque diabolo relatam. Nam ita proxime dixerat: Cum autē
 mortale hoc induerit immortalitatem: fiet sermo, qui scriptus
 est: absorpta est mors in uictoria. Vbi est mors uictoria tua?
 Quæ omnia apostolus efficacissima hac admonitione conclu-
 dit: Itaq; fratres mei dilecti, stabiles stote & immobiles, abun-
 dantes in omni opere domini semper, scientes quod labor ue-
 ster non est inanis in domino. Quid aptius dici potuit excitare
 dis animis ad uirtutem? Neq; enim (inquit) est inanis labor ue-
 ster. Esset uero inanis: si premium animæ & corpori, ideoq; &
 toti homini non redderetur. Nunc autem resurrectione credi-
 ta, manifestū est nullo modo esse inanem laborem nostrum: sed
 pro momentaneis laboribus deum reddere nobis beatitudinis
mensuram

Mat. 19.

1. Co. 15

mensuram bonam, confertam, coagitatam in sinum animæ, & superfluentem in corpus.

Caput XIX. de ultima & perfecta nostra
beatitudine.

VITAM ÆTERNAM.

PUlcra certe coronide atque apta decentiq; conclusione hanc fidei sumam, & professionem apostolicus chorus ornauit, atque perfecit: cum ait: Credo uitam æternam. Quare libet apostolici spiritus miram sapientiam in hoc symbolo colligendo & ordinando, singularem gratiã, & efficaciam illius ad trahenda desideria fidelium mentesq; rapiendas in Deum, paulo attentius nũc considerare, atq; hac diuina sine dubio doctrina paululum delectari. Ad quod non parum ultima hæc clausula nos mouet: in qua spiritus hic fidei ac spiritus Christi sanctus uero, certo, & beato fini nos mente iam et cogitatione coniunxit: docens manifeste fidei lucem nunquam deficere, aut finire: donec æternæ nos coniunxerit uitæ, & ueræ scelicitatis effecerit participes, iuxta illud Christi uerbum: Amen amen dico uobis, quia qui uerbum meũ audit, & credit ei, qui misit me, habet uitam æternam, & in iudicium non uenit: sed transiet a morte ad uitam. Quare uere non deficit in æternum, sed crescit, atque ad perfectum usq; tandem peruenit lux cognitioq; dei, hic fide incipiens. Vnde scriptum est a Salomone: iusto. Ioan. 5
Pro. 4
1. Co. 13
 rum semita, quasi lux splendens, procedit, & crescit usq; ad perfectam diem. Tollitur autem adueniente meridiana illa luce, imperfectio obscuritasq; fidei: ita Paulo dicente: ex parte cognoscimus, & ex parte prophetam9. Cu n autem uenerit quod perfectum est: euacuabitur quod ex parte est. Primum ergo in

Et deum

INSTITUTIONIS CHRISTIANÆ

deum ipsum fides nos sustulit, primum summumq; bonorum omnium bonū, & eorum fontem. Tum ad filium, uitam illam scaturientem, & manantem a patre nos duxit. Tum per opera illa mysteriaq; humanitatis Christi, ipsum dei filium nobis ob peccata iam mortuis de cœlo defluentem, seq; demittentem, & uitam suam communicantem ostendit; qua ratione ipse se in euangelio panem uerū uocauit: Pater (inquiens) meus dat uobis panem de cœlo uerum. Est enim Christus panis ille uerus, qui de cœlo descendit, & dat uitam mundo. Ac postremo nos hæc fides deduxit usq; ad spiritum sanctum nobis communicatum, atq; usq; ad ecclesiam uiuificantem, & in uita gratiæ nos conseruantem. Quibus tandem uiis ad uitam æternam fœlicemq; & interminabilem gloriam nos peruenturos, eo etiam ipso satis prædicat: atq; ita a deo, summo illo principio uitæ in se ipso, usq; ad eundem nobis perpetuo atq; sine ullo a missione periculo communicatum, & mirabili modo unitum attingit: nos scilicet ducens ab alpha usq; ad ω, hoc est, a deo, primo principio fonteq; perennis & inexhaustæ bonitatis, ex quo omnia sunt, usq; ad ipsum deum, finem ultimum & omnium desideriorum centrum, in quod omnia mouentur, & in quo quiescunt: nos inquam ducens per ipsum deum, per quem omnia & manu tenentur, & recta ad finem ducuntur, medium scilicet rectissimum, & regulam inobliquabilem. Etenim hæc est uera illa sapientia, attingens a fine usq; ad finem fortiter. Itaq; perfectum circulum & motum integrum cursu hoc suo fides huius symboli compleuit, ita oīa dicta concludens: Credo uitā æternam: hoc est, tandem post reliqua omnia, persuasum certissimumq; habeo, completa omnium resurrectione, iustos manere æternam fœlicitatem, mercedemq; bonorum operum. Est enim deus inquirentium se remunerator liberalissimus: atq; eos, quos super pauca, quibus in hac uita præfecti sunt, fideles repperit,

Ioan. 6.

Apo. 1.

Rom. 11

Sap. 8.

Heb. 11

Mat. 25

repperit,

repperit, supra multa æternæ beatitudinis bona cōstituit. Hinc Gen. 2. 5.
 dicit ipsi Abraham: Ego protector tuus, & merces tua magna
 nimis. Hæc sane uera beatitudo, ac perfecta & cœlestis gloria
 superat naturam nostram, & humani atq; angelici intellectus
 sensum; neq; potest a creatura aliqua, prius quam ad illam per-
 uenerit, satis intelligi aut cogitari: Paulo ex Esaia clamante: 1. Cor. 2.
 Nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis as- E sai. 64.
 cendit, quæ præparauit deus diligentibus se. Quare ea diuersis
 nominibus in scriptura sacra exprimitur: ac subindicatur ma-
 gis multis figuris & tropis, quam ex rerum notarum uocabu-
 lis plene docetur. Verum non casu putauerim hoc uocabulo
 uitæ æternæ apostolos hic eam explicasse; sed magno spiritus
 sancti consilio hoc fuisse factum. Est enim selectissimum hoc no-
 men, & quantum credo, omnium & simplicissimum & fæcun-
 dissimum: quod paulo latius nunc explicabimus, ut aliquo mo-
 do affectum nostrum excitemus ad desiderandum hanc beati-
 tudinem. Vocatur igitur beatitudo æterna, cœna, mensa, con-
 uiuium lautissimum, cibus, potus, satietas, ebrietas, & aliis id ge- Luce, 14.
 nus nominibus. Etenim Christus in euangelio: Homo qui Luce, 22
 dam (ait) fecit cœnam magnam. Et alibi: Ego (inquit) dispono
 uobis: sicut disposuit mihi pater meus, regnum: ut edatis, & bi- E sai. 25.
 batis super mensam meam in regno meo. Et Esaias clamat:
 faciet dominus exercituum omnibus populis in monte hoc
 conuiuium pinguium, conuiuium uindemiæ, pinguium medul-
 latorum, uindemiæ defæcata. Atque de hoc gloriæ conuiui-
 o se loqui significans, subdit: & præcipitabit in monte isto faci-
 em uinculi colligati super omnes populos, & telam, quam
 orditus est super omnes nationes. Præcitabit mortem in semp-
 ternū. Vbi enim & peccati & mortis imperiū omnino destrui-
 bitur) amici, & bibite, & inebriamini charissimi. Et in Psalmis cant. 50.
Psal. 35.

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

etiam scriptum est : inebriabuntur ab ubertate domus tuæ : & torrente uoluptatis tuæ potabis eos. Est enim uerissime in illa cœlesti gloria satietas omnium bonorum, & gustus dulcedoq̃ simul delectabilium omnium in deo ipso, eiusq̃ incomprehensibili dulcedine : sic satians, ut nec grauet, nec nauseam aut fa-

Ecc. 2. 4. stidium moueat iuxta illud sapientiæ: qui edunt me, adhuc esuriunt: & qui bibunt me, adhuc sitient: ita etiam trahens appetitum, & famem sui excitans, ut nec cruciet, nec subtrahat bonum aliquod. ¶ Item uocatur quies, ociũ, securitas, pax, tranquillitas, somnusq; dulcissimus. Itaq; per Esaiam dominus: *Sedebit* (ait) *populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta.* Quibus terminis aptis sane planisq; quietem illam beatitudinis significauit. Primum enim dicitur populus dei sessurus esse, non obliuione aliqua, aut ignorantia, sed in pace, hoc est, in ueris, perfectis, & sufficientib; bonis: tum in pulchritudine pacis, idest, non in pace fœda, atque deformi peccatorum: sed in pulcherrima pace & securitate: tum

Isai. 32. in tabernaculis fiduciæ, hoc est, in certitudine nunquam id amittendi : non sicut illi : qui in magno uiuentes ignorantia bello, maxima mala pacem arbitrantur : & deniq; in opulenta requie: quoniam requies illa nullam penuriam, aut paupertatem afferet: sicut solet ociositas huius sæculi afferre. Erit enim hæc pax opulenta, & bonis refferta. Recte ergo propheta ait : *Sedebit dei populus: hoc est, quiescet, frueturq; ocio fœlici.* Nam & pulchritudo decorq;, & omnimoda desideriorum omnium concordia atque opulencia simul ibi erunt: neq; aberit certa in perpetuum id habendi fiducia : neq; bonum aliquod beatis deerit: neq; malum ullum imminere poterit : de qua quiete *Dauid in pace* (ait) *in id ipsum dormiam, & requiescam.* Ac *Paulus cum ab ea quiete ex uerbis cuiusdam Psalmi dixisset, exclusos incredulos, admittendos uero pios fidelesq; festinemus ergo* (inquit) *in illam requiem.* Quæ certe requies non solum est ab operibus

Sap. 1. 4.

Psal. 4.

Heb. 4.

bus

bus laboribusq; nostris: sed est etiam requies dei atque in deo. Ipse enim in se ipso, hoc est, extra omnia opera sua quieuisse dicitur: nos similiter ad eandem quietem inuitans. Hinc Paulus post adicit: Qui enim ingressus est in requiem eius: etiam ipse requieuit ab operibus suis, sicut a suis deus. Et David quoq; *Psa. 114* hanc iam spe tenens requiem: Conuertere (ait) anima mea in requiem tuam: quia dominus benefecit tibi. Declarat autem statim, qualis sit illa requies: Eripuit (inquiens) animam meam de morte: oculos meos a lachrymis: pedes meos a lapsu. Atq; *Esa. 146* Esaias: & erit (ait) in die illa, cum requiem dederit tibi dominus a labore tuo & a concussione tua, & a seruitute dura, quam ante seruiuisti. Vere enim ibi a peccato, a diabolo, ab illius infestationibus, & a molestiis deniq; corporis ac animi liberati, quiescimus.

Item uocatur regnum, principatus, diuitiæ, gloria, honor, laus: & quidquid boni inest mundanis regnis, illi tribuit sacra scriptura. Nam Christus: qui facit (ait) uoluntatem patris *Mat. 76* mei: ipse intrabit in regnum cœlorum. Et rursus Apostolis: *Mat. 196* cum sederit (inquit) filius hominis in sede maiestatis suæ: sedebitis & uos, iudicantes duodecim tribus Israel. Et David de eis *Psal. 44* dixit: Constitues eos principes super omnem terram. Efficiuntur enim beati omnes regni ipsius dei participes: dum in eis primum perfecteq; regnat deus, & ipsi cum eo simul: & dum ipsi sibi ipsis ac cæteris omnibus dominantur & imperant: quem admodum sancta illa animalia, senioresq; cantant in Apoca- *Apo. 56* lypsi agno immaculato Christo: fecisti nos deo nostro regnum & sacerdotes: & regnabimus super terram. Vnde Sapiens: *Sap. 50* dicabunt (scribit) sancti nationes, & dominabuntur populis: & regnabit dominus illorum in perpetuum. Vide quomodo regno dei regnū sanctorū adiungatur, ita deo constituyente & uolente, ut conregnent cum Christo deoq; qui hic fuerunt cum illo compassi, iuxta illud Pauli: Si compatimur: & conregnabi *Roma, 8.*

Ee iii mus.



INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

Apo. 3. mus. Quod etiam ipse Christus promisit in Apocalypsi: Qui uicerit (inquiens) dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut ego uici, & sedi cum patre meo in throno eius. Et rursus ad
Apo. 2. huc clarius ibidem dicit: (Qui uicerit, & custodierit usq; in finem opera mea: dabo illi potestatem super gentes: & reget eas in uirga ferrea, & tanquam uas figuli confringentur: sicut & ego accipi a patre meo. Ac ideo de iusto scribitur: Gloria & diuitiae in
Psa. 111. domo eius. Quam gloriam certissime deus tribuit beatis omnibus, illos gloriosos, laudabiles, admirabilesq; coram uniuersis
Mat. 10. etiam creaturis praedicans. Hinc Christus de quolibet sancto:
Mar. 8. Confitebor (ait) nomen eius coram patre meo, & coram angelis eius. Et alibi: Quicumq; (inquit) honorificauerit me: glorificabo eum, Quomodo autem putas honorandum, quem deus sic uoluerit honorare, dignumq; honore coram deo cunctisq; creaturis iudicauerit? Quare merito scripsit Dauid: Nimis honorati sunt amici tui, deus,

¶ Item uocatur gaudium, laticia, consolatio, exultatio, delectatio, & aliis quæ ad hæc pertinent, nominibus. Vnde Dauid: Exultabunt (inquit) sancti in gloria: latibuntur in cubiculis suis: exultationes dei in faucibus eorum. Et Christus dominus: Intra (dixit seruo fideli) in gaudium domini tui. Et Esaias: Ambulabunt (ait) qui liberati fuerint: & redempti a domino conuertentur, & uenient in Sion cum laude: & laticia sempiterna super capita eorum: gaudium & laticiam obtinebunt & fugiet dolor, & gemitus. Ac rursus: gaudiū (inquit) & laticia inuenietur in ea, gratiarum actio, & uox laudis. Atq; hic lugentes praedicauit Christus esse beatos: quoniam ipsi consolantur. Ac Esaias etiam: Consolabitur (ait) dominus Sion, & consolabitur omnes ruinas eius, & ponet desertum eius quasi delicias, &c. Et Ioannes scripsit in Apocalypsi: Deus absterget lachrymas ab oculis sanctorum: & iam non erit amplius nec luctus, nec clamor, sed nec ullus dolor.

¶ Item

Item vocatur sanitas, integritas, robur, optima valetudo, iuuentus, decor, & pulchritudo. Hinc Daniel: fulgebunt (inquit) qui docti fuerint, quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Et Esaias: Israel (ait) saluatus est in domino salute æterna. *Ac alibi: Occupabit (inquit) salus muros tuos, & portas tuas laudatio. Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te: sed erit tibi dominus in lucem sempiternam, & deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra sol tuus, & luna tua non minuetur: quia erit tibi dominus in lucem sempiternam, & complebuntur dies luctus tui. Populus autem tuus omnes iusti, in perpetuum hæreditabunt terram.*

Deniq; ut in summa dicam, cuncta quæ hic quouis modo bona, & desiderabilia sunt, de illa beatitudine inueniuntur dicta. Nam, ut de externis his adminiculis loquar, dicitur quoq; ornamentum, uestitus, gloriosus & regius habitus, domus, habitaculum, ciuitas pulcherrima ac ornatissima, & hortus amænissimus. Namq; Esaias: Induit me (inquit) uestimentis salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum coronâ, & quasi sponsam ornatam monilibus suis. Et David: Quam dilecta (ait) tabernacula tua domine virtutum: concupiscit & deficit anima mea in atria domini. Et rursus: Hæc (inquit) recordatus sum, & effudi animam meam: quoniã transibo in locum tabernaculi admirabilis usq; ad domum dei. Atq; de hac dei domo pulcherrimæque habitatione, idem Psalter orans iugiter: Vnam (dicit) petii a domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo domini omnibus diebus uitæ meæ: ut uideam uoluntatem domini, uel, ut alii legunt, delectatione domini, Esaias etiam ciuitatem ipsam Hierusalem nominans, clamat: Oculi tui uidebunt Hierusalem, habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam trans ferri

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

ferri poterit: nec auferentur clauis eius in sempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur: quia solum modo ibi magnificus est dominus noster: locus fluuiorum, riui latissimi & patientes, &c: et addit: populus, qui habitat in ea, auferetur ab eo

Apo. 21. iniquitas. Sed hanc urbem coelestem apertius in Apocalypsi Ioannes descripsit: Ostendit (scribens) mihi ciuitatem sanctam Hierusalem, descendentem de caelo, habentem claritatem dei: & lumen eius simile lapidi precioso tanquam lapidi iaspidis, sicut crysallum. Et habebat murum magnum & altum, habentem portas duodecim, &c. Vbi apostolus fundamentorum, duodecim portarum, & platearum preciosam pulchritudine, & alia ornamenta eius coelestis ciuitatis latius prosequitur: ac fluuium

Apo. 22. aquae uiuae splendidum, tanquam crysallum, a sede dei procedentem, se uidisse testatur, & ex utraque parte fluminis lignum uitae. Quid, quaeso, potest pulchrius, desiderabilius, & amariius describi? Caeterum haec omnia scriptura sacra de beatitudine illa coelesti refert: non quod in his illa consistat, uel ad illam haec requirantur. Haec enim sunt corporea & infima: ut aurum, margaritae, flumina, & caetera dicta fere omnia: sunt, quae contemnenda relinquendaque Christus ipse docuit, ac uera ratio studiosus ostendit: quales sunt diuitiae, lautiores cibi, deliciae, & alia id genus: sunt caduca bona atque instabilia: quae non possunt simul haberi: nec unquam satiari quenquam: nec uniuersam sensuum auiditatem explere: sunt denique eorum multa extranea: atque in aliis potius, quam in eis, quorum dicuntur esse, inueniuntur: ut honor, fama, gloria, & laus. Quae sane omnia & auferri ab iniustis possunt, & prauis aequae ut bonis eueniunt: neque bonum efficiunt habentem, neque malum illis carentem reddunt. Nihil ergo illorum uerum bonum hominis, nihilque perfectum in illis est. Verum ideo ea sacra scriptura refert: ut omnia, quae desiderabilia bona perfectaque, aut quouis modo bona sunt, ostendat demeritis defectibus, qui bono cuique adiacent, in illa absolutissima

ma

ma foelicitate inueniri: qualia sunt satietas sine grauitate uel fastidio: fames sine afflictione: ocium sine inertia: negocium operosissimum sine labore, immo cum suauitate summa: delectatio non transiens, neq; crescens, neq; marcescens, neq; decedens: flos pulcherrimus cum fructu: fructus plenissimus cum uenustate. Itaq; Sapiens: Venerunt (ait) mihi omnia bona pariter cum illa. Apud nos autem non omnia bona simul haberi possunt. Nec enim simul delectatio gustus, & satietas esse queunt: quod & in aliis multis uerum perspicias. In ea uero gloria coelesti sunt omnia bona uerissime defaecata expurgataq; ab omnibus imperfectionibus. Quare, ut iam apertius fateamur, oia dicta uerius non sunt in illa, quam sunt: possuntq; magis de illa negari, quam affirmari: quod & beatus ille pater Dionysius, dei Dionys.
ca. 2. ccccl. eximius laudator magnusq; theologus, scripsit de iis, quae de Hierar.
Pro. 3. deo dicuntur: neq; immerito de ea beatitudine illud sapientis intelligemus: omnia, quae desiderantur, huic non ualent comparari. Dicuntur tamen praedicta de illa: quoniam ibi erit bonum quoddam tam incomprehensibile, tam perfectum, & praestans: ut nihil ei desit eorum, quae hic desiderantur: sed uerissime omnia contineat, modo quoda sublimissimo ac ratione nobis abditissima. Cum igitur ea omnia illam ex longe ac extrinsecus positus & adiacentibus potius, quam ex ipsius intima natura declarent: uerus ille summusq; magister Christus, qui in sinu patris, illiusq; beatitudinis perfecte particeps est, ad nos ueniens, huius foelicitatis aeternae cognitionem amoremq; traditurus, saepius eam aeternae uitae nomine appellauit: quod nomen menti illius dilecti discipuli, qui e sacro pectore coelestis magistri euangelium tanquam e fonte ipso ebibit, sic alte insedit, in eaq; tam profundas iecit radices: ut tam in suo euangelio ex Christi ore, qua ex proprio in suis epistolis frequenter nobis illud repetat. Vnde paulo post initium sui euangelii Christum Ioan. 5 inducit id, quod supra citauimus, Phariseis dicentem: Qui uer-

INSTITVTIONIS CHRISTIANÆ

bum meum audit, & credit ei: habet uitam æternā. Et post pat-
 ca: sicut pater (ait) habet uitam in semet ipso: sic dedit & filio ui-
 tam habere in semet ipso. Neq; tantum pro se ipso illam se acce-
Ioan. 17. pisse testatur in oratione ad patrem: sicut dedisti (inquit) ei
 potestatem omnis carnis: ut omne quod dedisti ei, det eis ui-
Ioan. 6. tam æternam. Et rursum: Operamini, ait, non cibū, qui perit:
 sed qui permanet in uita: æternam: quā filius hominis dabit
 uobis: & addit: Ego sum panis uitæ: qui uenit ad me, nō esuriet.
 Et iterū: Hæc est (inquit) uoluntas patris mei: qui misit me: ut
 oīs qui uidet filiū, & credit in eum, habeat uitā æternam: & ego
 resuscitabo eū in nouissimo die. Et ibidem: Non sicut (ait) man-
 ducauerūt patres uestri manna: & mortui sunt. Qui manducat
Ioan. 8 hunc panem, uiuet in æternum. Atq; ab opposito eam etiam de-
 clarat, & promittit: si quis (dicens) sermonem meū seruauerit:
 mortem non gustabit in æternū. Ac rationem redditur, quare
Ioan. 10. hanc æternā uitā tanto opere inculcaret: Omnes (inquit) quot
 quot uenerunt, fures sunt & latrones, &c. et addit: fur non ue-
 nit, nisi ut furetur, & mactet, & perdat. Ego ueni, ut uitā habeāt,
 & abundantius habeant. Etenim id quod sumē ab omnibus de-
 sideratur & quæritur, est uita: nihilq; intimius & firmitus hōum
 animis inhæret, quā semper uiuendi desiderū, odiumq; & fuga
 mortis. Cum autem beatitudo sit sumā perfectio, & sumē ab om-
 nibus, qui illius sunt capaces, desiderabilis: manifeste apparet
 eam uitam esse a morte liberam, neq; dici posse, neq; promitti
 hominibus aliquid charius, gratius, aut amabilius, quam sit
 æterna uita. Quod sane planius perspicietur: si uitæ huius,
 quam tanto opere cupimus, atq; simul etiam huius nostri de-
 siderii rationem expendamus. Est enim uita, esse, permanen-
 tia, & consistentia uiuentium: quæ in unione corporis & animæ
 consistit. Quare hanc animæ corporisq; unionem corpus
 & anima, ideoq; totus homo ualde desiderat: contraq; illorum
 separationem uehementer timet ac fugit, Nam hoc est omni-
 bus

bus natura inditū, ut suum esse summe ament, & studeant serua-
 re. Neq; uero in hac animæ & corporis unione quiescit deside-
 rium nostrum: sed cupimus etiam in ea bonam corporis & ani-
 mæ ueletudinem & consonantiam: qua libere integreque suas
 exerceant operationes. Non enim esse quoddam ociosum &
 iners, aut somnum, aut insensibilitatē cupimus: quod mortem
 esse, atque uiui hominis sepulturā omnes aperte intelligimus:
 sed desideramus esse quoddam uiuidum, atque se se per opera-
 tiones proprias exerens: in quibus propria naturalisque cuique
 uiuenti est delectatio & quies. Itaque tunc uiuens quodlibet quies-
 cet, nihilque præterea quæret: quando propriæ naturæ conue-
 nientem operationē attigerit. Immo & uidemus res omnes na-
 turales non uiuentes, quodam naturæ ipsius impulsu tum hoc
 appetere, ut suum habeant commodum locum, & in eo pro-
 priā operationē: tum hoc habito quiescere. Atque hanc omni-
 um rerum inclinationem propensionemque interpretatur Au-
 gustinus, pondus esse rerum: in quo deus dicitur omnia consti-
 tuisse: ad quod etiam refert ordinem, qui cuiusque boni pars est.
 Quamobrem sæpe etiam apud Philosophos uita operatio ipsa
 uocatur, & uiuere ipsum operari. Quod animis omnium ita esse
 insitum, & ipsi significamus: cum uitam cuiusque uocamus id, quo
 maxime delectatur, & cui inhæret libentius. Quia igitur omnia
 quemadmodum propriam uitam, ita & propriam operationē uitæ
 summo conatu desiderant, & in ea quiescunt, tunc se perfecta esse
 opere ipso ostendentia: consequens est, ut, si nostrā non ignore-
 mus naturam, intellectualem uitam illiusque operationes finem
 desideriorum nostrorum agnoscamus. Sumus enim corporei
 quidē & materiales: sed intellectu spiritusque præditi: quod propriū
 est nobis, & quo a cæteris distamus animalibus; eaque antecelli-
 mus: in aliis satis inferiores illis, & deterioris conditionis. Pro-
 pria ergo hominis uita, intellectualis est: qua uere & perfecte
 uiuimus, cum nō solū uim intelligendi habemus: sed cum eam

Augusti
 li. 6. de
 Trini.
 Sap. 11.

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

etiam contemplantes agnoscentesq; exercemus. Si autem intellectualis natura, quod negari non potest, in nobis superior est: reliquum est, ut & illius operationes suauissimæ sint, & maxime delectabiles, ideoq; maxime desiderabiles: quod & de sapientia scripsit sapiens: Præposui illam (inquiens) regnis & sedibus: & diuitias nihil esse dixi in comparatione illius: neq; comparauilli lapidem preciosum. Verū intellectuales operationes intellige maxime esse delectabiles: cum non imperfectæ, informes, & incertæ sunt. Hac enim est magna anxietas & afflictio hominis: cum ignorantia tenebrisq; offunditur intellectus: neq; potest ueram earum rerum, quas quærit, cognitionem habere. Non enim intellectus noster quiescit: cum nondum uenerit ad perfectum, ultimum, & summum bonū: neq; dum finem principiumq; cognitionis attigerit. Nam quamuis, quantū torqueatur homo, cum rei alicuius, quam uidet & intuetur oculis, nequit intelligere causam uel naturam, tantum delectetur ea cognita, ac certa eius & sine ignorantia suspitione habita noticia: sed illius tñ rei quiescet quidē desiderium in hac natura intellectuali: nunquā uero pfecte quiescet, quo usq; intellectus ad deū ipsum cognoscendum perueniat. Immo quo quis plura de creaturarum pulchritudine, uirtute, & substantia cognouerit, & quo magis ex illis summi dei creatorisq; uestigia ac imaginem fuerit contemplatus, ipsumq; esse intellexerit: eo ardentius ad eum cognoscendum anhelabit, atq; irrequietius auidus erit cognitionis illius: neq; iam per specula, res scilicet creatas, quas ab illo uidet infinite distare, sed ad apertius eum cognoscendum, pro uiribus suis contendet. Neq; uero potest hoc desiderium deum magis magisq; cognoscendi, in hac uita quiescere: sed re ipsa clamat natura nostra intellectualis: Quando ueniam, & apparebo ante faciem dei? Vnde ii Philosophi, quibus aliquid de hac nostri intellectus perfectione cognoscere datum est, in illius operationibus quietem nostram, atque ultimum finem posuerunt:

fuerunt, atque in substantiarum separatarum, inter quas supremus est deus, agnitione unionemq; illū consistere cognouerunt. Quamquā deficiente hic natura intellectus humani, qualis illa cognitio futura esset, nequierunt assequi. Quidam. n. eorū que fuerunt unionē quandam cum illis substantiis fictam ac uanā: alii uero delirantes, alia dixerunt. Fides igitur sola hic nobis subueniens, deum uoluisse nos ad sui ipsius lucidam apertamq; cognitionem atque unionem erigere, ostendit. Hinc Ioannes: 1. Ioan. 56
 Cum apparuerit (inquit) similes ei erimus: quoniā uidebimus eum, sicuti est. Qua sane re per fidem cognita, non est, cur amplius torquēatur homo de suo fine: sed intelligat suam foelicitatem esse ultimam perfectionem intellectualis suæ naturæ, perfectamq; illius cum deo unionem: cum, ut Paulus ait, 1. Cor. 3
 per speculum & in ænigmate, sed facie ad faciem eum uidebimus: atque, ut uerbis Esaiæ utar, uidentes affluemus, mirabimur, atque dilatabitur cor nostrum: cumq; dei magnitudine pleni, dicemus experti, quod fide prædit dicebat Dauid: Psal. 72.
 Quid mihi est in cælo, & a te quid uolui super terram: ac deniq; cum foeliciter deuicti immensitate illa diuinitatis incomprehensibilis, addemus, quod sequitur: Defecit caro mea, & cor meum: deus cordis mei, & pars mea deus in æternum. Quare & Christus in oratione ad patrem: Ioan. 17.
 Hæc est, inquit, uita æterna: ut cognoscant te solum uerū deum, & quem misisti, Iesum Christū. Cui certe cognitioni coniuncta est sua delectatio, gaudium, & iocunditas, inebrians animas. Itaq; hoc est beatū esse, deum usq; ad satietatem uidere, & uisione illa summe delectari: atq; hoc est uere uiuere humana intellectualiq; uita: cum quo comparata ois quantumcumq; magna & perfecta operatio, & uita ipsa hominum, mors magis dici debet, quam uita. Sicut enim, qui graui quodam sopore aut lethargo oppressi, nihil aut cogitare, aut operari possunt, mortui magis quam uiui dicentur, si cum uigilantissimo, atque optimis operationibus incumbenti conferan-
ff iii tur:

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

tur: Sic certe quantumuis in hac uita multa operemur, & nobis uiuere uideamur, ingenio uiuacitateq; multa excogitantes & fabricantes, siue ea ad acquirendam scientiam, siue ad diuitias parandas, siue ad famam gloriamq; ampliandam pertineant: longius tamen ab illa distamus uita, quam lethargicus ille distet a uigilante. Et quidem anima exuta hac mole carnis, mox quasi a sopore quodam sibi uidetur exurgere. Tanta est huius uitae obliuio. Sic enim & de uiuentibus exponi potest, quod scribitur in Psalmis: Dormierunt somnū suū, & nihil inuenerunt omnes uiri diuitiarum in manibus suis. Hoc est, expergefacti per mortem ab obliuione uitę, nihil esse uiderūt, quod in ea magnū putabant. Quanto ergo uerius digniusq; homo, cum ad dei apertam uisionem peruenerit, antea dormisse se iudicabit? Eo autem altius dormimus; quo longius ab hac tam nobili operatione, uereque diuina uita distamus. Quo fit, ut corpore tantū uiuentes, atque uires sensusq; corporeos tantū in se ipsis agnoscetes, nihilq; praterea curantes, uerissime mortui sint (quem admodum Paulus dixit: Vidua, quę in deliciis est uiuens, mortua est) mortui inquam, non solum collati cum beatis, sed etiam cum sapientibus & cum iis, qui ea, quę intellectus sunt, cogitant, & sapientię ueriq; cognitioni incumbunt. Viuunt enim illi tantum, si cum iumentis, aut lapidibus comparentur. Contra uero quo magis in hac uita operibus cęlestis uitę similibus exercemur: hoc est, quo amplius deum cognoscimus, ac illum pręsentem mente habemus, & illo delectamur: eo magis uere uiuimus: ut possimus etiā in hac uita, uel ex particula aliqua ex periri, quantū sit cordis mundi in deo diuinisq; operibus contēplandis gaudiū, & quanta leticia, quamq; omnibus mundanis leticiis pręstantior & maior. Vnde Christus: beati (inquit) mundo corde: quoniā ipsi deū uidebunt. Et sapiens de dei cognitione loquens: Nō habet (ait) amaritudinē conuersatio illius, nec tēdiū conuictus illius: sed leticiā & gaudiū. Qualis ergo illa erit leticia

Psal. 75.

1. Tim. 5

Math. 5
Sap. 8.

leticia

leticia, quale gaudiū, qualis deniq; uita, quæ in dei aperta cognitione unioneq; cordis limpidissimi sine intermissione aliqua transigeretur? Atque ea certe cognitio tanta erit, quanta est nostri intellectus capacitas: qui non poterit uiuacior uigilantioreq; esse: sed omnes suas uires foelicissime & facillime in hoc exercerebit, nunquam deficiens, neq; unquam cessans: quod significat tum ille sanctorum animalium in apocalypsi labor, sollicitudoq; *Apo. 4^e* quietissima: quæ requiem non habebant die ac nocte, dicentia: *Esaï. 6^e* Sanctus, sanctus, sanctus: tum etiam apud Esaiam illorum Seraphim uox: qua alter ad alterum idem etiam canticum clamat, Porro præ deuotione ac amore requiæ nō habent illa animalia, neq; unq; in ocio sunt, neq; unquā tacent, sed semper laudes dei decantant. Adde his, quod hæc dei cognitio, atq; hæc unio ita est in beatis: ut certi sint ab ea nunquā seperari se posse uel ad breue tempus. Angeli. n. eorum (inquit Christus) in coelis semp uident faciem patris mei. Si ergo semper uident faciē dei: nunq; ab illa separari possunt. Nos autem in coelis, iuxta domini uerbum, erimus sicut angeli dei. Neq; uero est in beatorū operationibus successio aliqua, siue discursus uel temporis uel intellectus. Non enim ibi una nunc est dei cognitio, & post illam succedit altera perfectior & clarior, aut ignauior remissioq; prior: neq; expectatur tempus aliquod adueniens: in quo, aut quæ nunc præsentia sunt, transeant: aut ueniant, quæ nunc sunt absentia: sed una illa atq; inuariabilis operatio tota simul, neq; prius neq; posterio habens, permanet, ipsi diuinæ, quā deus de se habet, cognitioni persimilis: cui etiam mirabilis est adiuncta delectatio, non qualis in his solet inueniri rebus sensibusq; corporeis: sed uere æterna, semper permanens, & persistans. Quam uitam æternam hoc articulo symboli credimus & confitemur, diuinæ simillimam, planeq; participatione diuinam. Per quam fidem sanctus ille Ioannes, de cuius euangelio hoc uocabulum uitæ æternæ sumptum ostendimus, ipsam uitam æternam

cum

INSTITVTIONIS CHRISTIANÆ

2. Ioan. 1.
 cum magna animi læticia & exultatione tum afferit, tum etiam scribit se & cognouisse & accepisse: Quod fuit (inquiens) ab initio, quod audiuius, quod uidimus oculis nostris, quod peti speximus, & manus nostræ contrectauerunt de uerbo uitæ, & uita manifestata est: & uidimus, & testamur, & annunciamus uobis uitam æternam, quæ erat apud patrē, & apparuit nobis. Vide iam horum uerborum gradus. Nam primum, uerbum uitæ, Christi dispensationem atque mysteria uocat. Hæc enim Ioannes & sancti Apostoli uiderunt, & contrectauerunt manibus. Vnde Thomæ Christus (dixit) affer manum tuam, & mitte in latus meum, & infer digitum tuum in manus meas. Et Luc. 24. rursum omnibus apostolis: palpate (inquit) & uidete. Verbum igitur uitæ, hæc mysteria uocat: aperte significans nos extra Christum nihil aliud, quam mortem & hic & in futuro sæculo habituros. Erasmus namq; omnes mortui: sed uerbum uitæ, quod a principio erat, ad nos ueniens, uitam attulit. Ioan. 10. Nam ueni (ait ipse Christus) ut uitam habeant, & abundantius habeant. Deinde addit Ioannes, & uitam æternam, quæ erat apud patrem, nobis apparuisse, & a se cognitam esse. Sic Ioan. 6. enim Petrus pro se & aliis Christo dicebat: Verba uitæ æternæ habes. Et ipse Christus de se: Verba (inquit) quæ ego loquor uobis, spiritus & uita sunt. Post Apostolus subiicit, etiam se annunciare idem uerbum uitæ, quod uitam æternam appellat: quasi non sit uerbum uitæ, quod non de æterna uita sit: sicut neque uita dicenda est, quæ non sit æterna diuinæq;. Postremo apertius hoc declaraturus, adhuc subdit: Quod uidimus, & audiuius, annunciamus uobis, ut & uos societatem habeatis nobiscum: & societas nostra sit cum patre, & cum filio eius Iesu Christo. Quibus uerbis planissime dicit, hanc æternam uitam esse societatem, atque communicationem quandam diuinæ uitæ, ita animas perficientem, ita satiantem, & implentem, ut deriuetur ab illa ad corpus quoq; foelicitas, atque gloria omnimoda:

nimoda: ut iam nō sit corpus animale, ut Paulus inquit, sed spi-
 rituale; neq; graue & ponderosum, animæq; repugnans: sed om-
 nino agile, subtileq; & animæ aptissimum domicilium ac or-
 ganum, resurgens scilicet gloriosum, resplendens, & ad animæ
 imperium facile mobile, ita anima subiciente illud sibi: ut sit
 iam uerissime spirituale, non animale corpus, nullis egens ci-
 bis, neque uestibus: sed anima ipsi pro gloria, pro uestitu, pro ci-
 bo erit. Quid autem mirum, cum futura sit illi immortalitas?
 Ea autem iam erit plena integraq; non animæ tantum, sed to-
 tius hominis uita æterna, atque diuina: de qua hæc nos dixisse
 uel balbutiendo, illius amor effecit. Verum id solum hic non
 prætermittendum uidetur, sanctos apostolos in hoc postremo
 articulo, ubi facta omnium resurrectione ultimam nostrorum
 operum retributionem confiteri nos docuerunt, nihil de dam-
 natorum pœna fuisse loquutos, sed tantum beatorum glori-
 am declarasse; quod non sine magna sapientia factum est. Nam
 cum ordo rerum postulare uideretur, ut post assertam resurre-
 ctionem, damnandos impios, & pios gloria afficiendos doce-
 rent: nihil de punitione malorū loquuntur: imitati in hoc Chri-
 stum: qui magis amore beneficiisq; homines trahere uoluit,
 quam metu. Quare & in euangelio statim incepit a regni cœle-
 stis prædicatione. Et in illa insigni concione: uestrū est (ait) re-
 gnum cœlorum: & merces uestra copiosa est in cœlis: & alia id
 genus multa. De inferno uero rarius loquitur: quod tamen nec
 omnino omittit. Est autem hoc proprium euangelicæ legis
 & gratiæ, filios benignitate & amore congregare. Nec enim ac-
 cepistis (ait Paulus) spiritum seruitutis in timore: sed accepistis
 spiritum adoptionis filiorum. Quamobrem & id seruandum
 merito fuit in hoc symbolo & epitome euangelicæ legis. Ne
 tamen omnino id præteriisse uideamur: hoc solum pios admo-
 nebimus, si de illa infœlicitate miseriaque damnatorum loqui
 nelimus, non posse nos illam apertius depingere, quam si dica-

Mat. 46

Math. 5.

Luc. 6

Roma. 8.

INSTITVTIONIS CHRISTIANAE

mus esse æternam mortem: affirmantes de illa omnia contraria
 iis, quæ de uita æterna diximus. Est igitur ea summa quædam
 ignorantia dei: est extrema ab ipso & intuendo & agnoscendo
 elongatio fugacq; perpetua: est immundorum spirituum, & for-
 dibus adhærentium peccatorum: est obliuio & sui ipsius, & dei:
 est deniq; barathrum quoddam, & teterrimum sepulchrum
 odii, anxietatis, & tristitiæ de diuinis omnibus, atque de dei ip-
 sius gloria & manifestatione. Vides plane æternam mortem,
 duratione quidem nunquam finendam, sed mutabilitate atq;
 instabilitate plenam: uides semper miseram unionem animæ
 ad corpus foetidum, deforme, tetrum, horridum, animæ ue-
 re fugiendum & detestandum: uides deniq; animæ & corpo-
 ris æternam ueramq; mortem, nihil aliud uitæ habentem, quã
 quod per eam non liceat infœlici animæ suam non sentire &

Psa. 49.

Mat. 26.

cogitare infœlicitatem. Hinc Dauid: sicut oues (ait) in infœ-
 no positi sunt: mors depascet eos. Ea uero mors non eradicat,
 neq; omnino destruit: sed sic uiuere permittit, ut uerum si-
 euangelicum illud: Melius illis esset, non esse natos. Voluit
 ergo Apostolorum senatus, ut hanc occulte insinuatam, nos
 tantum perpenderemus fugeremusq;: quantum contra uita-
 tam illam æternam aperte demonstratam, cogitare atq; de-
 siderare debemus: scilicet ut tanquam nobiles, ingenui, & li-
 beri, spe æternæ uitæ fœlicitatisq; potius traheremur ac incita-
 remur ad bonum, deumq; & amandum & quærendum: quod

Ioan. 20.

finis est huius totius fidei, quam confessi sumus: testante
 Ioanne de omni certe apostolica doctrina: hæc
 scripta sunt: ut credatis, quia Iesus est fi-
 lius dei, & ut credentes, uitam hæc
 beatis in nomine eius.



